NAZ.
III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
G
45
NAPOLI

VI G 45

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DEFENSIO
SCHOLÆ THOMISTICÆ
ORDINIS PRÆDICATORUM

CONTRA

TRIPARTITUM
APOLOGETICUM

CUI TITULUS:

Trattenimenti Apologetici ſul Probabiliſmo di Giuſeppe M. Gravina della Compagnia di Gesù Palermitano. In Palermo MDCCLV.

NAPOLI

PANORMI MDCCLVI.
Excudebat Petrus Bentivenga ſub ſigno Ss. Apostolorum
Apud Plateam Villenam.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Inſpicite nunc .... (Probabiliſtam Anti-Dominicanum) *inaniter evagari, criminantem, & nihil probantem*. S. Auguſtinus *lib.* 3. *cont. Petil. c.* 33.

Nuper percurri Summam moralem multorum voluminum .... *Quæſivi Chriſtum, & non erat. Quæſivi charitatem, & dilectionem Dei & Proximi, & non erat. Quæſivi Evangelium, & non erat. Quæſivi humilitatem, ſine qua ſalvatur nemo, & non erat* .... *Evangelium ergo ſimplex eſt, & omni duplicitati repugnat: & habet* EST, EST: NON, NON. *Modernus contra Moraliſmus duplex eſt, & bilingui illa probabilitate utitur, & habet* EST *ſimul, & non* EST; *cum ſua regula ſit probabilitas contrariarum, & contradictoriarum propoſitionum. Sicque a ſimplicitate prorſus diſtat*. P. Michael Elizalde inſignis Soc. Jeſu Theologus 3. *p. lib.* 8. *q.* 7. §. 2. *pag.* 137.

Digitized by Google

ERUDITO, AC PIO

LECTORI

AUCTOR.

VUlgi admurmuratio facit, ut noſſe videare Probabiliſtas, contra quos ſcribo. Ego neminem nomino. Illis tantùm ſcribo, qui duas vias induxerunt, quibus eundum ſit in Cœlum, arctam unam, & anguſtam, quam putant ad *Rigoriſmum*, & *Janſeniſmum* proclivem; benignam alteram, mollem, ſuavem, quæ numquam in *Laxiſmum* delabi poſſit. „ Eh via, inquit (*a*), conchiu„ diamo almeno ſive una pars teneatur, ſive altera (o „ Probabilioriſmo, o Probabiliſmo) nullum præjudicium „ nec fidei, nec moribus generatur; e però concludimus „ contentionem de ſectanda opinione probabiliori nec ad ſe„ verioris Ethicæ cultores pertinere; & eſſe ſpeculatricem „ meram. „ Et alio loco explicatius ſcribit: (*b*) „ Tut„ to il midollo del Probabiliſmo conſiſte in vedere ſe le „ opinioni contrarie ſieno ſodamente Probabili: ſe lo ſono „ va propoſta a deboli, ed a sfervorati la più mite per in„ namorarſi della Vita ſpirituale, col lecco di quel mele del „ Benigniſmo; a' robuſti però, ed a' fervoroſi va propoſta „ la più rigida, che più li guidi alla perfezione, come pun„ to però di ſupererogazione &c. „ Inter duas contrarias

a 2 opi-

(*a*) *In Apolog*. Rev. P. Joſeph Gravina, *cui titulus*: Trattenimenti Apolog. &c. *p. p. n.* 565. (*b*) *Ib. in* 2. *p. n.* 615.

opiniones ; quarum altera te reum facit mortis æternæ ; altera te ab hoc diſcrimine, & reatu liberat, optio datur Probabiliſtæ, quam velit elargiri, ut poſſit. Vitæ ſpiritualis amatoribus rigidam, & ſeveriorem, qua proficiant; infirmioribus, & corruptela malæ conſuetudinis depravatis, ne exhorreſcant, molliorem, benigniorem, & ſuaviorem œconomicus Opinator donat. Qui ſi de conſiliis ſermonem faceret, jus diſputandi ſuum haberet: ſed de officiis agitur, quæ rationem debiti, & præcepti tenent. In his bivium aperitur ignotum Moyſi, ignotum Sanctis Prophetis, ignotum Chriſto Domino, & Apoſtolis. „ *Conſidera*, inquit Moyſes Deut. „ 30, 15. *quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & „ bonum, & e converſo mortem, & malum..... Elige vi-„ tam, ut & tu vivas*. „ Eandem vitam debilibus, & robuſtis, infirmis, & perfectis Moſes proponit; Itemque & mortem eandem. Adeo vero Moſes abhorruit a bivio, ut de via vitæ, hoc eſt, de præceptorum obſervantia differens præmiſerit c.28. *Ac non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*.

Rurſus Hier. 21, 8. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Qui habitaverit in hac Urbe morietur..... qui autem egreſſus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos..... vivet*. Confer *Jer. c*.38, 2. Unam viam vitæ, & unam viam mortis ab Jeremia didicerunt Ebræi. At ii qui alteram præterea viam vitæ ad Ægyptum abeuntes comminiſci voluerunt, inter Ægyptios occiſi ſunt *cap*.42, *& ſeqq*. Nihil opus eſt, ut de Chriſti Evangelio memorem Matt. 7, 13. & ſeq. *Quam anguſta*, inquit, *porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui intrant per eam*. Arctane dicenda eſt via, quæ bivium habet? Pauci ne intrarent, ſi hæc porta tam facilis aditu tamque accommoda eſſet infirmis? Paulus Apoſtolus unum tantum novit *ſtadium* 1. *ad Cor*. 9, 24. in quo curritur, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.

Uti-

Utitur œconomicus noſter Opinator exemplo Pauli de non neceſſariis officiis pro ratione Perſonarum, & temporum differentis, ut evincat bivium ſuum in neceſſariis, & rationem debiti habentibus. Ait enim *in 2. p. Apolog. n.* 616. „ Molto più va ciò praticato co' peccatori nell' atto di dar „ loro bevande amare, e diſguſtoſe non tanto alla corrotta „ natura, quanto alla loro prava conſuetudine. Sono eſſi in „ ciò più ritroſi de' fanciulletti ammalati &c. „ Quid benignius cogitari poteſt lucrandis ad Chriſti viam peccatoribus?

„ Similes ſcilicet homines (verbis utor P. Michaelis Elizalde Soc. Jeſu inſignis Theologi *p. 2. lib.* 6. *q.* 6. §. 3.) „ libenter audient pravitatem materiæ in re venerea; *amplexus neſcio quos*, & *oſcula*, quæ ad delectationes illiciant, licere; occaſionem periculoſiſſimam his, & illis de „ cauſis domi retineri poſſe, ex pecunia mutuata propter „ hoc, & propter illud, cum pignore quidem octo, ſine pignore decem, aut plus etiam ultra ſortem tuto accipi; & „ hoc genus plurima libentiſſime mundi homines audiunt, „ quæ ſecundum deſideria carnis ſunt. „ Ecquid eſt aliud, mi Probabiliſta, viam Evangelicam inſtar aleæ, & taxillorum modo in unam, modo in alteram partem tranſponere, ut ſerviens ſcenæ, tempori, ac loco illam accommodes? Quid eſt inquam aliud, ordinem charitatis, legemque Dei æternam veluti regulam lesbiam in manu habere, ut quocumque libuerit, illam inclines? Sancti Patres cujuſque ſeculi nunquam finiendis morum quæſtionibus aliam pro infirmis, aliam pro perfectis conſcientiæ regulam adhibuerunt. Si quando latens veritas diffidentes ſecum inter ſe concitabat diſputatores, id quiſque vocabat *probabile*, quod accedere magis, & proximius ad Scripturæ Sanctæ auctoritatem ſentiebat. Diſputarunt de legalium ſimulatione deque officioſo mendacio Hieronymus, & Auguſtinus. Uterque id enitebatur, quod Scripturæ, & veritati ſibi videretur magis conſen-

ta-

taneum. Ac poſſem tot exempla ſubjicere, quot ante natum Probabiliſmum quæſtiones morum inter Theologos exarſerunt. Conferantur Scholæ cum Scholis, Auctores cum Auctoribus, rationes cum rationibus: quotus quiſque rem transegit cum adverſario, ut tum hoc, tum illud liceret? Præferendis Scripturis Canonicis, de quibus haud conveniebat inter omnes Eccleſias non eam conſtituit regulam Auguſtinus (*a*), ut quam quæque Eccleſia reciperet, illam poſſet præferre. Minoris auctoritatis Eccleſias cum majoribus contendit, pauciores cum pluribus, ut ſi Scriptura cum Scriptura pugnaret, ei eſſet adhærendum, quæ majori polleret auctoritate. Morum doctrina doctrinæ fidei eſt pars. Quin doctrina fidei integrè conſiſtere nequit, ſi eam dijungas ab illa, quæ eſt morum. Cur ergo in doctrina fidei nullum patet bivium, ut optio detur ſive credas id quod minus, ſive credas id quod magis ad veritatem accedit?

Beati Probabiliſtæ, inquit Pater Elizalde *lib.* 8. *q.* 5. §. 5., quibus inexplicabilis ſilva diſſidentium opinionum planè occurrit in doctrina morum, minimè verentur, in qualibet e duabus contrariis opinione probabili tranquillè quieſcere. An ignorantiam cauſari jure, & verè poſſunt? Primum quæ quiſque ſatis, ac plenè noverit, quonam pacto dicendus eſt invincibiliter illa ignorare? *Ignorantia*, quod ait S. Th. 1. 2. q. 76. ar. 3. *dicitur cauſare actum, quem ſcientia oppoſita prohibebat*. Sciunt Probabiliſtæ opinionem contrariam, eamque probabiliorem eſſe plenè noverunt. Et non pudebit ignorantiam invincibilem hujus ſcitæ, & præjudicatæ opinionis prætendere? Hæc ignorantia in fidei doctrina nihil eos juvat, qui minus probabili aſſentiuntur: ergo nec in his, quæ morum ſunt, quæque naturalis legis luminibus, & notionibus finiri debent, Probabiliſtas excuſabit. Si via ſalutis noſtris opinionibus aperiretur, eſſet cauſa cur probabiliſmo adhærentes

(*a*) Auguſt. *Lib.* 2. *de Doctr. Chriſt. c.* 3.

Digitized by Google

tes benignam alteram viam evangelicæ jungeremus. Sed non eſt ita. Is tantùm ſalutem adipiſcitur, qui eam pergit viam, quam Chriſtus arctam, difficilem, anguſtam: dicam planius, carni inimicam, deliciarum, & voluptatum hujus ſeculi expertem prædicavit. *Eſt via*, inquit Sapiens Prov. 14, 12. *quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem*. Tu viam inſiſtis, quæ ducere tibi videtur ad vitam: at revera experieris te confecto itinere deductum ad mortem. Nonne *via ſtulti recta eſt in oculis ejus*? Ib. c. 15. Quid? id circo ne deſinit eſſe ſtultus, quia rectum ſibi videtur opinari?

Quanto verius & ſapientius illi ſentiunt; qui in ſuis opinionibus cavent, ut quam proximè accedant ad eam unam, quam Chriſtus docuit, viam veritatis, viam charitatis, & fidei, viam alienam a deliciis, cupiditatibus, & carnis deſideriis infenſam, arctam, anguſtam, mundo, & ſeculi hominibus inviſam. Hæc ne via probabiliſtica? Minimè quidem. volunt enim arbitrii frena laxare: arctam, & anguſtam viam oderunt: amplam, & ſpatioſam malunt. „ Ex opinionum, inquiunt, varietate jugum Chriſti ſuavius deportatur. An „ non paſſim accideret, pleroſque hominum rebelles ſe objicere, ſi ad aliquod determinatè gerendum, vel omittendum „ conſtringantur; quemadmodum renituntur ex mandatis Decalogi implere id quod in illis decretum jam ſit determinatè, & abſque varietate opinionum, quid ſub mortali „ oporteat agere? Ergo benigniſſima Dei providentia cautum eſt, unicam tantùm viam moralium operationum non dari, ſed plures pateſcere juxta Pſalmiſtam: *Vias tuas*, „ *Domine*, *demonſtra mihi*: *UT QUAMCUMQUE* „ *DUARUM PRIMO DIVERSARUM INIERINT* „ *RECTA TENDANT AD SUPEROS*. „

Hæc Probabiliſtarum ex ore P. Eſcobar (*a*) an cogitata, an præ-

(*a*) Antonius Eſcobar *Vol. 1. Theol. Mor. in Præloq. c. 3. pag.* 4.

Digitized by Google

præſtigia tantiſper commentemur. Pſalmiſtam profert plures vias oſtendi ſibi poſcentem; Cur non ipſum profert ex multis unam eligentem: *Viam veritatis elegi*? Chriſtus Evangelicæ Legis jugum ſuave reddit auxiliis ſuæ gratiæ, & charitatis: P. Eſcobar ſuave effici putat varietate opinionum. Præceptis Decalogi rebelles eſſe dicit homines, quia id quod in illis decretum jam eſt, non ſinit varietatem opinantium. Ut huic malo occurrat, audi remedium: ne homines rebelles præceptis ſint, nec amarulentum quid in obſervantia ipſorum patiantur, plures primo diverſæ excogita opiniones; quamcumque inieris, dulciter, ſuaviter, & molliter, recta tendes ad ſuperos. Ita ne vero? non unam ergo viam perveniendi ad ſuperos Chriſtus docuit? non unum *ſtadium* Paulus? non unam legis obſervantiam Prophetæ? non unam exactiſſimam regulam, & trutinam divinarum Scripturarum charitatem, & veritatem Patres, ac Theologi? Cedo mihi Joannem Chriſoſtomum Hom. 13. in Matth. „ Ne igitur „ multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus. „ Quomodo autem non abſurdum propter pecunias aliis non „ credere, ſed ipſas numerare, & ſupputare; pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter? præſertim cum habeamus exactiſſimam trutinam, & regulam „ divinarum Scripturarum legum aſſertionem. Ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis, quidnam huic, vel „ illi videatur: deque his a Scripturis omnia inquirite. „ Sed revertor ad Lectorem.

Quærenti enim cui ſcribo: non dubitabo reſpondere illis Probabiliſtis ſcribo: qui per involucra Probabiliſmi viam evangelicam alteram faciunt, Chriſti doctrinam eludunt, charitatis ordinem evertunt, legis rigorem emolliunt, veræ virtutis difficultatem vitiis temporum, & corruptis moribus attemperant. Putas ne hæc anti-evangelica ſurdâ nos aure poſſe præterire? At Ordini Prædicatorum nomen dedimus.

Digitized by Google

mus. Sanæ doctrinæ nos vindices, & ſalutis animarum procuratores inſtituti ſumus. Hæc hujus Sacri Ordinis indoles, hæc vitæ, & officii noſtri devotio, ut non patiamur Chriſti doctrinam, & Catholicæ Eccleſiæ mores prava hominum falſa opinantium hallucinatione relaxari. Si Gravinianus Probabiliſta, quiſquis ille ſit hujus Apologetici Scriptor unam, eandemque viam, arctam, & anguſtam, quæ ſola perducat ad Cœlum, profitetur, nec viam alteram probabiliſticam Evangelicæ contrariam, mollem, ſuavem, blandam, abſynthio, & amaritudine vacuam inducit: nihil habeo quod ei pro Apologetici ſui contra nos, noſtramque familiam ſuſceptis injuriis opponam. Libenter charitatis Chriſtianæ memor illas remitto. Utinam viribus, animiſque fœderatis & ego, & tute, mi Graviniane, & tui, & mei ſimul omnes ſocii adoriamur eos Probabiliſtas, qui placentia, & ſeculi hominibus blanda, ac dulcia fuco Probabiliſmi delibuta loquuntur.

At ſunt etiam (nam hoc fortaſſe dices) e Dominicanis Probabiliſtæ. Ne unum quidem dabis. Verum fuerint olim pauci, de quibus poſtea: neque ego iſtis parco. Quaſi verò mihi conſtitutum ſit pro laribus, pro aris, & focis meis, non pro regno cœleſti, non pro ſalute animarum certare? Compertum eſt, ac minimè obſcurum ex omnibus Sacris Ordinibus plurimos, & doctiſſimos floruiſſe, ac etiamnum florere Antiprobabiliſtas. Habes apud P. Danielem Concinam celeberrimum noſtri temporis Theologum Benedictinos, Franciſcanos, Auguſtinianos, Carmelitas, Jeſuitas, aliorumque Sacrorum Ordinum Regulares: ſunt etiam alii Catholici Doctores. Cum his mihi, & tibi, Graviniane, mecum quidem ſi vis, factam copiam exiſtimo, ut contra Probabiliſmi bivium certemus. Ego de me hoc profiteor: non ſum electus unus, qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſim dicere. Habeo firma charitatis præſidia. His confirmatus non cauſam pro ſociis ago, non gentis meæ, aut familiæ negotium aggredior, neque domeſticorum honori, aut

Digitized by Google

famæ velificor. Vellem Probabiliſtæ hoc meminiſſent, æternum ſe poſſe perire ex hoc ſolo capite, ſi nimio Sociorum amore abripiantur: ſi Religioni ſibi non ducant doctrinam utcumque a Sociis adoptatam totis viribus tueri. Hæc Theologiæ corruptio, inquit Pater Theophilus Rainaudus Probabiliſta ipſe quidem „ eſt (*a*) lues peſtilentiſſima, quæ „ etiam *pios*, & *a communibus morbis immunes inficit*: a „ nationis, inquam, aut gentis amore immoderato deriva„ tur. Sunt enim ut affectus, ita & opiniones quædam na„ tionales, quibus eo tenacius, fortiuſque adhæreſcitur, „ quo eſt *amor incarnatæ neceſſitudinis*, & patriæ inflamma„ tior, & vehementior; vix ut eo ſe extricent, qui perfe„ ctionem profitentur. „ Hujus Patris Theophili monitis ante oculos propoſitis, quæ patet ad evadendum latebra? Dicturi ne erunt Probabiliſtæ, me hoc morbo eodem laborare? Peribit ergo in ſcientia tua, in ſcientia mea frater, per quem mortuus eſt Chriſtus? Apage iſtiuſmodi tam malum omen. Quin potius humili, demiſſoque animo ſupplices, abjectique ambo ad opem Chriſti Jeſu confugiamus? Nonne convenit inter nos aliud nihil ſcire niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum? Nonne carnis anguſtia, vitæ ſpiritualis ſeveritas crux Chriſti eſt? Cur ergo huic cruci carnis delicias, & deſideria attemperabo? Tanti ne facienda Sociorum gloria mihi videtur, ut crux Chriſti famæ Sociorum concedat? Numquid Socius meus pro me crucifixus eſt? Numquid baptizatus ſum in nomine Sociorum? Numquid repromiſſio Sociis meis facta eſt, ut ipſorum honori militans æternam mortem evadam? Atque utinam hæc non dedignetur ſerio de ſe meditari Probabiliſta meus; quæ a me non eo dicuntur, ut illum reprehendam: ſed ut ei faveam, qui in eodem mecum ago-

(*a*) P. Theophilus Rainaudus *tom.* XVI. *punct.* 8. *de Theologia accommodatitia pag.* 386.

agone contendit. Hunc ſubire ceteri adnitantur, ut corruptibilem coronam accipiant: nos vero ut incorruptam. Sed hæc hactenus.

Tibi autem, pie ac erudite Lector, ſcriptionis meæ conſilium patefactum eſt ſatis. Invitus quidem ago, ut cum Probabiliſtis certamen ineam: ſed charitati, & ſanæ doctrinæ vigiliarum mearum penſum auferre nec potui, nec vero debui. Perſolvam autem hac lege, quam me Hieronymus docuit (*a*), ut interdum, lapidem teneam, interdum panem, quod dici ſolet, oſtendam. Primum artem Probabiliſticam præfabor quodam quaſi prologo Galeato. Mox quæ ſanari poterunt, quacumque ratione ſanabo: quæ reſecanda erunt, non patiar ad perniciem charitatis manare. „ Canes latrant pro dominis „ ſuis: (*b*) & tu non vis me latrare pro Chriſto? „

(*a*) Hieron. *Apolog. adverſ. Jovin. ad Pammachium Ep.* 48. *cap.* 13.

(*b*) *Idem adv. Ruff. lib.* 2. *cap.* 17.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

PRÆFATIO INSTAR PROLOGI GALEATI:
Exponit artem Probabiliſticam. *pag.* 1.

PARADOXUM I.

Probabiliter ſuſtineri poſſe Apologeticum de quo dicimus, opus eſſe Apocryphum, atque a Probabiliſta, neſcio quo, Rev. Patri Joſeph Gravina Soc. J. immeritò adſcriptum. *pag.* 5.

PARADOXUM II.

Diſcrimen reprehenſionum Probabiliſtam inter Gravinianum, & Dominicanum Antiprobabiliſtam. Iſte ſuo jure reprehendit falſam probabiliſtiam Doctrinam. Ille nullo jure debacchatur contra Perſonas. *pag.* 11.

§. I.

Examinantur maledicta Antiprobabiliſmi in adverſarium Patrem Gravino. *pag.* 13.

§. II.

Probabiliſtis confitentibus Antiprobabiliſmus Dominicanus nihil docet ſanæ doctrinæ, ac bonis moribus adverſum. *pag.* 16.

§. III.

His contraria docent Dominicani de Probabiliſtarum falſa doctrina. *pag.* 18.

§. IV.

Oſtendit injuſtas Probabiliſtæ Graviniani reprehenſiones in Antiprobabiliſtas Dominicanos. *ibid.*

Digitized by Google

§. V.
Tradit diſcrimen Gravinianarum, & noſtrarum reprehenſionum. pag. 19.

§. VI.
Præoccupat duo effugia Probabiliſtica. pag. 20.

§. VII.
CONSECTARIUM I.
Ergo zelus quo Probabiliſmum conſulere ſe ſaluti, & paci animarum credit, eſt zelus Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. pag. 25.

§. VIII.
CONSECTARIUM II.
Si Antiprobabiliſmus fatente Graviniano Probabiliſta nihil habet, quod fidei, ac bonis moribus adverſetur: Ergo per ſummam injuriam contra Perſonam Antiprobabiliſtarum Janſeniſmi, & Rigoriſmi noto inuritur. pag. 27.

§. IX.
Superioris Conſectarii explicatio, qua Antiprobabiliſmus inducitur reprehendens Probabiliſmum novitatis, & laxiſmi: quin etiam propenſionis ad Janſeniſmum. pag. 30.

§. X.
CONSECTARIUM III.
Si jure caret Gravinianus Probabiliſta reprehendendi ſanam Probabilioriſmi doctrinam: nullo certe jure agit, cum arreptis ex trivio parergis, & exoticis, quæ nihil ad cauſam Probabilioriſmi attinent, eos graviſſimos Scriptores Dominicanos ſugillat, quorum nomen neque noſtra laude ornatur, neque Graviniana cenſurâ minuitur. pag. 36.

PA-

PARADOXUM III.

Probabiliſmus hujus ætatis, pro quo Gravinianus Probabiliſta contra Probabilioriſtas certat, nova doctrina eſt; ortum habens a P. Antonio Terillo Soc. Jeſu ingenioſo Scriptore. pag.39.

§. I.

Prænotio opinionis probabilis a Graviniano Probabiliſta tradita æquivocis, & fallaciis implicatur. pag.40.

§. II.

Tradit partitiones Gravinianas de priſcis, & Junioribus Thomiſtis, de Probabiliſmo, deque Antiprobabiliſmo. pag.43.

§. III.

Exponit Gravinianam hypoteſim, ſeù potius Antilogiam de ortu Probabiliſmi adumbrati. pag.44.

§. IV.

Probabiliſmus reflexus, quem Gravinianus Auctor, Scholaſticum appellat, deſcribitur. pag.46.

§. V.

Negat Bartholomæum Medina, aut alium quemvis Ord. Prædic. Theologum, Probabiliſmi reflexi, ſeu ſcholaſtici jam jam deſcripti Auctorem, vel Doctorem ullo quovis tempore extitiſſe. pag.47.

§. VI.

Falſa eſt cauſa, quam Gravinianus auctor prodit, tribuendi Thomiſtis Probabiliſmum paulo ante deſcriptum. pag.51.

§. VII.

Vera cauſa, cur priſcis Thomiſtis attribuatur Probabiliſmus, eſt,

eſt, quia prioris ſæculi Probabiliſtæ priſcis Molinianis ſimiles novitatem confitebantur. Juniores Probabiliſtæ juniorum Molinianorum imitatores, ne novitatis cenſuram audiant, ad antiquiores Thomiſtas confugiunt: perinde ac Moliniſtæ nunc ſuam Scientiam mediam antiquam, & Auguſtinianam venditant. pag. 53.

§. VIII.

Probabiliſmi Reflexi, ſeu Scholaſtici verus Auctor, Doctor, Inventor, & Parens habendus eſt P. Antonius Terillus ingenioſus Societ. Jeſu Theologus. Hic prope annum 1660. *SCIENTIAM MEDIAM PROBABILISTICAM invexit: quæ mirabilior eſt Scientiâ Mediâ Moliniſticâ. Hunc Probabiliſmum Gravinianus Auctor, & juniores Probabiliſtæ colunt, ac totis lacertis propugnant.* pag. 55.

§. IX.

CONSECTARIUM I.

Probabiliſmus reflexus, ſeu Scholaſticus, quem vocat Auctor Gravinianus, hominem adverſus Deum litigantem ſuper libertatis poſſeſſione facit. pag. 60.

§. X.

CONSECTARIUM II.

Si lex dubia, lex nulla: exulent ergo ab orbe Catholico Juriſconſultorum Tribunalia, exulent ſcholæ Theologorum, exulet ſacrarum legum, & ambiguorum Judex, & Interpres. ibid.

§. XI.

CONSECTARIUM III.

Ergo Juniores Probabiliſtæ, quos inter Gravinianus, tot inflagitia materialiter ſaltem, ut ſcholæ loquuntur (nam intentionem ſalvam volo) incidant neceſſe eſt, quot approbanda offeruntur ex probabiliſmi reflexi praxi horrida abſur-

Digitized by Google

ſurda. *pag*.61.

PARADOXUM IV.

Obligatio rejiciendi Probabiliſmum faventem libertati, & eligendi Probabilioriſmum ſtantem pro lege oritur, & habet vim præcepti ab ipſo Ordine ſeu lege, & regula Charitatis. *pag*.69.

§. I.

Poſſeſſorium, aut Petitorium libertatis contra legem charitatis ſtultè, ne dicam iniquè poſtulatur. *pag*.70.

§. II.

Ordo charitatis præcipit, ut probabiliora, & vero propinquiora ſequamur, minuſque probabilia, & a vero longiora deſeramus. *pag*.72.

§. III.

Quamvis a peccato excuſentur illi Auctores, qui bona fide judicarunt Probabiliſtarum ſententiam eſſe veram, ideoque inculpabiliter illam ſecuti ſunt ſpeculativè; nemo tamen, niſi probetur, cenſendus eſt adhibuiſſe talem doctrinam in praxi ad dirigendam conſcientiam ſuam, aut alienam, QUIA SEMPER, ET UBIQUE FUIT, EST, ET ERIT FORMALISSIMUM PECCATUM TALEM DOCTRINAM PRACTICARE. *pag*.78.

§. IV.

In quo exhibetur ſupplex libellus Reverendiſſimi Præpoſiti Generalis Patris Tyrſi Gonzalez Societatis Jeſu ad Clementem XI. pro exterminando Probabiliſmo.

Digitized by Google

§. V.

Oſtendit quibuſnam in regionibus torrens peccatorum inundet, an ubi regnat Probabilioriſmus, an vero ubi graſſatur Probabiliſmus. pag. 91.

§. VI.

Quænam pacis faciendæ ratio ineunda? pag. 94.

Digitized by Google

ERRATA			CORRIGE.
pravitatem	*pag.* v.	*lin.* 13.	parvitatem
diverſæ	*pag.* VIII.	*lin.* 10.	diverſas
exprobent,	*pag.* 1.	*lin.* 12.	exprobrent,
evomerunt.	*pag.* 3.	*lin.* 5.	evomuerunt.
Sancto Job	*pag.* 9.	*lin.* 30.	Sanctus Job
tamem	*pag.* 15.	*lin.* 24.	tamen
Probabiliſta	*pag.* 17.	*lin.* 7.	Probabiliſtæ
profiſcatur	*pag.* 23.	*lin.* 25.	proficiſcatur
quæ ſunt,	*pag.* 24.	*lin.* 38.	quæ ſua ſunt
irretitem	*pag.* 29.	*lin.* 8.	irretitum
hominis	*pag.* 30.	*lin.* 37.	nominis
vides.	*pag.* 31.	*lin.* 21.	videtur.
probabibilis,	*pag.* 33.	*lin.* 10.	probabilis,
Concinnam	*pag.* 34.	*in poſtilla.*	Concinam
Contenzioſoſo,	*pag.* 46.	*lin.* 10.	*Contenzioſo,*
æcquæ	*pag.* 61.	§.XI .*lin.* 11.	ecquæ
Gal. 3,	*pag.* 70.	*lin.* 16.	Gal. 5,
ſervire	*ib.*	*lin.* 17.	*ſervite*

Et cetera ſi qua occurrant alia benigne lector corrige.

Digitized by Google

PRÆFATIO
INSTAR PROLOGI GALEATI.

VETUS jam Probabiliſtarum ratio eſt, inde uſque a Molinianis ducta temporibus, ut ſicubi fractos, repreſſos, profligatoſque domeſticæ Scholæ velites perdidiſſe compererint, Thraſonibus ſimiles palmam ſibi certaminis adjudicent, tumidius ſeſe efferant, palamque Epinicia canant. Riſu ſane digna, atque feſtiva ratio; quam ſi intra ſiparium ita cohiberent, ut luderent corio dumtaxat ſuo, eſſent illi quidem mirandi, ſed tamen eſſent ferendi. Hoc vero ſerre quis probus debeat, cerebroſos interdum quoſdam ex eis emergere vitiligatores, qui ſcenica prædicantes doctiſſimis viris exprobent, amiſſæ cauſæ non funera, ſed fucoſa, & comica gregales ſuos doceant, &, quaſi nihil detrimenti Schola Probabiliſtica tulerit, ſermonibus ſuis eorum errata denuntient, quorum ſana doctrina nec noſtris laudibus ornatur, nec æmulorum vituperatione minuitur. Neque hoc ſolum: Theſes etiam Theſibus addunt, vitra fracta, rejectas quiſquilias, confutatas nænias medium in agmen iterum educunt, bellum indicunt, ſigna conferre tanquam feroces milites non oſtentant modo, ſed moleſte quoque, & magna cum impudentia conantur. Num fingo? Num mentior? Viſne a Molinianis velitationibus ordiar? At ſunt in promptu ſcriptores; modo ne fabulatores conſulas. Nam hi de ſuo ſenſu inſomnia eructantes, non

de primigeniis *Secretariorum Congregationis de Auxiliis* actis hiſtoriam, ſed potius fabulam venerando hiſtoriæ nomine prodiderunt. Patent etiamnum acta: Romæ ſervantur in Arce S. Angeli, in Bibliotheca Angelica, & in Archivo Barberino. Sed hæc omitto: libentius de Probabiliſmo recordor. Certatum eſt noſtris hiſce temporibus Probabiliſtas inter, & Antiprobabiliſtas de diſciplina jejunii. Primam, & alteram Conſtitutionem, ne Probabiliſmus latius in perniciem animarum manaret, Benedictus XIV. Pont. Max. quem ſuperum Regnator, & hominum diu ſoſpitem, incolumemque Eccleſiæ ſervet, quàm ſapientiſſimè edidit. Ceſſatum ne adhuc eſt a næniis? Imo etiam atque etiam Probabiliſtæ nugantur, & ſpiſſis quaternionibus, tractatibus libellis pro arbitrio ſenſa Conſtitutionum Apoſtolicarum contorquent. Ecce tibi: ſunt, qui muſſitant, ſunt qui nutant, ſunt qui variantibus involvuntur ſententiis, ſunt qui ſuis in moribus præfracte nimis manent.

Certatum rurſus eſt contra moderatas, quas dicunt, uſuras. Perverſum dogma ex Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque hujus furfuris ſordibus enatum moderni Lutheranæ factionis aſſeclæ Budæus, Heinnecius, Bohemerius, Moheſmius, Wolfius, Burcherius, & id genus ſimiles adoptarunt. Horum technis, fallaciiſque irretiti Catholici quidam incauti arriſere. Ne error in Chriſti Eccleſiam patentiùs venenum ſpargeret, Benedictus idem XIV. Pont. Maximus die 1. Novembris 1745. Decretalem Epiſtolam ad Epiſcopos Italiæ direxit. Auctores quorum animis erronea ſententia inſederit, quive illam foveant, aut anſam, & occaſionem præbeant, ſe apertiſſime noſſe declarat: *auctarium* quodcumque moderatum ultra ſortes eliminat, ac deteſtatur. Numquid propterea ceſſatum eſt? Erexit ſe Rev. Pater Profeſſor primarius Academiæ Ingolſtadienſis; conclamatæ cauſæ patrocinium ſuſcepit. Is anno 1749. (*a*). *Diſſertationem II. inauguralem* inſtruxit, in qua ſcenicam figuram induens ſemetipſum partitur duas in perſonas, alteram diſcipuli *P. Pichleri*, alteram Profeſſoris Primarii Ingolſtadienſis. Quam doctrinam, ut Magiſter Ingolſtadienſis repudiat, eam propugnat *ſolidam*, *firmam*, *vere catholicam*, ut diſcipulus P. Pichleri. Hæc mira Probabiliſtarum indoles, quo Pontificium decretum contra moderatas uſuras eludant.

Certatum præterea eſt contra *ſub-impudicam* tactuum mamillarium opinionem. Cauſam dixit P. Daniel Concina O. P. duabus editis epiſtolis adverſus librum inſcriptum: *Diſſertatio in Caſus Reſervatos* Venetæ Dioceſeos apud Joannem Mariam Lazzaroni: Non acquievit Rev. Probabiliſta, quin etiam acrius ſtylum armavit pro tactibus. Delatus eſt liber Romæ ad Tribunal S. Officii. Proſcriptus eſt ceu continens *falſas*, & *ſcandaloſas*, pro-

(*a*) *Apud* P. Concinam *in Præfat. to.* 1. *Appar. ad Theol. Chriſt.* §. 4. *ſpecimen libri* P. Franciſci Zech.

Digitized by Google

propoſitiones, ſimulque proſcripti ſunt libri, ſi qui in poſterum tuendæ Mamillarium tactuum cauſæ procuderentur. Quid agi directius ab Apoſtolica Sede potuit, ut Probabiliſtæ conticeſcerent? Queris, an conticuerint? Nota res eſt. Coram ſunt libri: neque Auctores obſcuri, qui virus evomerunt. Audi Patrem Concinam (in Opuſc. quod inſcribitur *Eſplicazione di quattro Paradoſſi c.1.§.1.n.16.in f.*) totius rei geſtæ ſummam in hæc verba explicantem: „ Se tutta l'Europa vede, che in Italia ſono ſtampati
„ ſette volumetti di Autori diverſi, cioè *la Ritrattazione*, i due Avviſi,
„ i quattro Opuſcoli *Vere aurea* in diſeſa de'tatti Mammillari dannati dalla
„ S. Sede, argumenterà in queſta guiſa. Non ſi ubbidiſce in Italia, in Ro-
„ ma ſteſſa a'Pontificj decreti. Sotto gli occhi del ſovrano Sommo Pontefice
„ ſi ſtampano, e ſi riſtampano libri a diſeſa della dannata dottrina, e pòi ſi
„ pretenderà di far credere, che nelle Indie, e nella China ſi ubbidiſce
„ prontamente a' ſovrani decreti? Non ſi ubbidiſce alla preſenza del
„ Principe, e ſi ubbidirà in lontananza?

Quid plura diſputem? Præclare nota ſunt doctis, indoctiſque tot tantaque Probabiliſmi vulnera. Si mihi apud aliquos agreſtes hæc habenda eſſet oratio, facilè ex omni *morali* Theologia probabilium opinionum certamina eventuſque repeterem, quid pro re nata egerint Probabiliſtæ, fuſe, lateque edicerem, qua ſe arte inſtruxerint, quibus tibiis confoſſi licet, & victi veteres nænias decantarint. Cùm autem Panormi loquar apud eruditiſſimos, quibus hæc inaudita non ſunt: quænam profecto cauſa eſt, cur impendam operam in eas res prodendas, quas Gravinianæ elucubrationes pro more Probabiliſtarum ſatis confidenter obtenebrarunt. Vidit Panormus anno 1752. *Gravinianum* illud vexillum, quò pro *Uſu*, & *abuſu Probabiliſmi* bellum nobis indicebatur. Mirata eſt hominem ſanguine ſuorum adhuc cruentum, tam fidentem, tamque ſui temporis oblitum in ſolem, atque pulverem inconſulto procedere. Vulnera a Concinianis inflicta adhuc efferveſcebant, ejulatibus domeſticorum velitum aures Sapientium circumſonabant, arma tanquam vitra fracta, argumenta ceu ſophiſmata exploſa: cum his tamen armis vitreis quidem, cum iiſdem quiſquiliis, ac paralogiſmis audere ſecunda prælia, adverſum exitum non vereri, proſperum, ac exultantem ſperare. Heus tu, o bone, quis tibi tua otia invidet? Quieturus, inquis, (*in Apolog. p. p.*) videbare? Cur ergo dormientes exſuſcitas? Cur ferulam te inter thoroſulos, & comatulos geſtare ſinentes, etiam in nos immitem exercere animose conaris? Bacchum eſſe probabiliſticis optas in myſteriis? Eſto: modo thyrſum teneas, cujus mucro tibi, & nobis parcat. Nunc Panormi agis: nunc Dominicanam noſtram familiam totis voluminibus concidis. An cauſa nobis juſti ſilentii offertur? An committendum, ut tanquam imbelles, ignavique milites hoſti ceſſiſſe videamur? Prima velitatione non tam repugnandi ſtudio, quam admonendi voluntate *Antiprobabiliſmum vindicatum* objecimus. Non ut noceremus diximus, ſed

Digitized by Google

ut cruorem tuorum quam recentiſſimum oſtenderemus. Doles quod plagam majorem acceperis? Audi M. Tullium pro Milone c. 21. n 55. Non ſemper viator a latrone, non numquam etiam latro a viatore occiditur. Quanquam enim paratus imparatos adorſus ſis, tamen periculo ſubveniendum fuit. Illa quæ ſuſpicionem, & crimen contra nos efficiebant, caute recuſavimus: ſed vulnera tamen quibus mederere, tibi celanda non fuerunt. Ad hæc vulnera operam tuam revocabamus; his tu ut peritus medicus occurreres, non tam refellendi cauſa, quam quærendi remedium, ſtudia, conatuſque noſtros adhibuimus. Suadebant ille Tullianæ ſententiæ, quæ libello Gravinianarum Theſium præfigebantur. Te namque *refellere, & refelli ſine pertinacia* paratum dicebas. Accepimus conditiones: quemadmodum ſteteris, attendamus.

Nonne ægre tuliſti noſtrum reſponſum, quod *Antiprobabiliſmus vindicatus*, inſcripſimus? Quo in reſponſo non tuorum judicium morum actum per nos fuit, ſed eruditionis tantum ac doctrinæ, in qua liberior poteſt eſſe cenſura. Si quos Probabiliſtas reprehendimus, res ipſa coegit: de Probabiliſmo diſceptabatur: non parergis, non exoticis, non ineptis criminationibus, aut dicteriis pugnatum eſt. Quorſum igitur doles? Quorſum conquereris? *Tibi ſoli tacebunt homines? Et cum ceteros irriſeris a nullo confutaberis*? (Job 11, 3.) Ergo vir ad pugnandum maximè paratus novos arietes machinatur, vulgata pari ferme titulo, ſtyloque mordaciori Apologia. Utque nos ingenti voluminum mole terrefaciat, Opus tres in partes tribuit. In priori diem refugit, *nocturnos Dialogos* ſermocinatur. In ſecunda *Poſtillas* inſtruit contra *Antiprobabiliſmi* libellum. In tertia quotquot in ſolum, ut dicitur, venerunt Dominicanæ familiæ ſcriptores, qui utcumque operoſo cenſori minus arrident, tot ſuum in judicium vocat. His magnis licèt, ac electiſſimis viris errata, quæ ad rem Antiprobabiliſticam nihil attinent, per indiculos, & claſſes liberalius affingit. Non ſatis fuit tam inconcinne tam incondite tot fabellas in prioribus voluminibus contra familiam Dominicanam, contraque alumnorum mores conſarcinaſſe: Tertium voluit infarcire volumen, ac ad extremum reflexionibus, & injuriis contra nos ſuis iterum & tertio ipſum Probabiliſmum cohoneſtare.

Ineptirem ne an potius deſiperem haud ſcio, ſi mihi conſtitutum ſit omnia perſequi, quæ homo tanti cerebri vigilans ſomniat. Mihi certum eſt paucis eſſe philoſophandum. Quæ enim de Probabiliſmo, & Antiprobabiliſmo diſputat, vetera ſunt, & plenè confutata. Parerga, atque exotica quotquot miſcet, & quaſi per ſaturam in toto Apologetico ſpargit, non reſponſis, ſed reprehenſione, ut modeſtiſſime dicam, coercenda ſunt. Ne tamen tacitum tuliſſe videatur, pauca *Paradoxa* ponam. Quam breviſſime agi res poterit, diſputabo.

PA-

Digitized by Google

PARADOXUM I.

Probabiliter ſuſtineri poſſe Apologeticum de quo dicimus, opus eſſe Apocryphum, atque a Probabiliſta, neſcio quo, Rev. Patri Joſeph Gravina Soc. J. immeritò adſcriptum.

MUltis ſentio fore, ut mirabile videatur, hanc opinionem in mentem meam venire potuiſſe, ut Apologeticum Gravinianum abjudicem Rev. P. Joſepho Gravina, atque ſuppoſititium, & incerti Auctoris fœtum eſſe probabiliter affirmem. Vix inquiunt, ac ne vix quidem contingere poteſt vivis auctoribus, vel nuperrime fato functis non genuinum opus adſcribi. Nemo enim, quod Daniel Huetius ait, (*in Demonſtr. Evang. Axiom. 1. in f.*) id pateretur ſe vivo: nemo non ſuppoſitionem proderet. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. Non enim ſumus ii, qui confuſe opinionem uſurpamus, nec inter opinionem ſubjectivè, & objectivè acceptam internoſcimus: quod Probabiliſtæ plerique omnes multarum licet, ac innumerabilium diſtinctiuncularum amatores audire, nec volunt, nec verò amant. Dictum eſt *probabiliter ſuſtineri poſſe*, ut hoc loco quid in facto Apologetici operis in contrarias partes diſputandum menti noſtræ occurrat, indicarem. Et ſi namque in ceteris rebus mirandum ſit, vivo Auctori opus adſcribi, quod illius non eſt: in cauſa tamen Probabiliſmi ſecus contingere non raro videmus. Ego ne teſtes nunc appellem? Ego, neſcio quos implorem? An vero de quibus ipſi Probabiliſtæ aliis teſtes eſſe deberent, de iis rebus ipſi alios teſtes audient?

Primum locupletem teſtem habeo Præpoſitum Generalem Soc. Jeſu, quem honoris cauſa nomino, Patrem Tyrſum Gonzalez in ſupplici libello, quem anno 1702. obtulit SS. Domino Clementi XI. Pont. Max. Hic inquam ingenuus teſtis, & omni exceptione major ſic ſuum incipit teſtimonium „ In hujus vitæ confinio conſtitutus, & in momenta ſingula mor„ tem expectans &c. „ Poſt hæc num. 3. verba faciens de quodam libro typis edito anno 1697. cujus titulus *Lydius lapis recentis Antiprobabiliſmi*, aperte declarat, a Probabiliſtis illum fuiſſe ſuppoſitum, & immerito adſcriptum Doctori Salmaticenſi *D. Franciſco de Perea*: „ Satis autem, inquit, „ conſtat librum illum non tam eſſe opus Doctoris de Perea, quam cujuſ„ dam Jeſuitæ, qui jam Deo judici rationem reddit, & a multis Jeſuitis ac„ ceptum fuiſſe cum magna exultatione, & plauſu. „

Tot alios teſtes ſunt in promptu, quot Probabiliſtarum libri P. Danieli Concina ſcriptori O. P. ſatis claro, vivo, & præſenti per ſummam fraudem, ac calumniam adſcriptos comperimus. Quæris a quibus? Res eſt

non

non in opinione dubia, ſed coram, in præſentia atque ante oculos poſita. Quid neceſſe eſt nomina proferre? Satis hoc ſit à Probabiliſtis. Ab his nimirum Danieli Concina ſuppoſita illa ſolemnis *Retractatio* eſt, cujus inſcriptio *Ritrattazione ſolenne di Fra Daniele Concina*: & adhuc eidem ſuppoſita eſt alia Defenſio, cujus titulus: *Difeſa contra la Quareſima Appellante*. Neque ſolum inſcripſerunt, ſed propriis ipſi manibus Probabiliſtæ libellos hoſce vulgarunt. Parcat mihi lector, ſi hæc ego commemoro. Locus cogit, modeſtia quoque ingenuuſque candor haud patitur, ut taceam, Nudè nuda loquor. nec retego verenda, ſed inverecunda confuto. Utinam privatim, & in cameris hæc fierent: utinam ſoli videremus, & audiremus: utinam nec loquentibus crederetur: utinam nobis reliquerint moderni Noe unde a nobis poſſent aliquatenus operiri! Nunc vero cernente orbe mundi fabulam ſoli tacebimus? Caput meum undique conquaſſatum eſt: & ego ſanguine circumquaque ebulliente putaverim eſſe tegendum? Hactenus Bernardi verbis ſum uſus. (*Epiſt. 42. Ad Henric. Senonenſem Archiepiſc. cap. 7. n. 29.*) Sed redeo ad libellos P. Concinæ ſuppoſitos non alia profecto luce dignos, quam quæ alterutri decreta eſt Romæ a Sacra Congregatione S. Officii. Quid dicam de quatuor illis *Opuſculis vere aureis*; quibus non ſine temeritate, ac pertinacia *Tactus Mamillares* aſſeruntur, quorum tria etiam P. Concinæ vivo Auctori ſuppoſita ſunt? Et dubitabitur: utrum moribus Probabiliſtarum comparatum ſit, ut vivis, & mortuis auctoribus, perinde ac ſua intereſt, libros immerito, & falſo adſcribant?

Sed non dilatabo orationem meam: etenim poſſet eſſe infinita, ſi mihi liberet totius Probabiliſmi explicare vanitatem. Eo autem hæc prædixi, ut lector intelligat, quanta cum ratione defendi poſſit, ſimile quicquam in Apologetico R. P. Joſepho Gravina Soc. Jeſu adſcripto contigiſſe.

Suadent certè quidem ineptiæ, inconcinna, parerga, criminationes, quibus ſcatet hoc Apologeticum. Suadent præterea tot ſententiarum aliam in rem ab Auctoribus ſcriptarum membra nonnulla conciſa, quæ Gravinianus Probabiliſta ad explendam periodi ſuæ *apodoſin* obtorto ſane collo, ac invita, ut ajunt, minerva non raro ab aliis mutuatur. Suadet etiam *philautia*, & par in capiendis conjecturis tanquam myſteriis licentia, quarum illa perridicula nec ex tempore ficta, ſed domo allata, & ab Amico Probabiliſta è probabiliſſimi prelo expreſſa, non niſi probabiliſticis auribus digna cenſeri poteſt. Cum enim ignotus hic Amicus Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIV. Pont. Maximi epiſtolam ad Rev. P. Joſephum Gravina miſſam interpretari ſtatuiſſet, quod ad vim & poteſtatem illius dictionis, ſeu pollicitationis Pontificiæ, *non laſcieremo di leggerle* (Concluſiones nempe Gravinianas *de uſu, & abuſu Probabiliſmi*, quas pro ſua humaniſſima Clementia Romanus idem Summus Pontifex ſe lecturum ſpondebat) magnus opinator ex paucis hiſce verbis duplex argumentum educit, alterum indirectæ, & virtualis Pontificiæ approbationis Concluſionum Gravinianarum,

al-

Digitized by Google

alteram felicis , & proſperæ fortunæ earumdem Concluſionum. ,,

Audiamus ipſa opinatoris verba : ,, Chi ſi può perſuadere , che ſi dia,
,, dal Papa in ringraziamenti per la ricevuta di coſe dottrinali ſenz' almeno,
,, averle fatto leggere a Perſona intendente ? Però la condotta di una tal
,, lettera l' è un *indiretta, e virtuale approvazione* delle dette Concluſioni.
,, E poi ripigliava (Amicus nimirum Probabiliſta) ,, E non è queſta gran
,, ventura per eſſe ? O Admirabilem Probabiliſmi licentiam ! O ſolidas Probabiliſmi rationes !

Dicite Io Pæan, & Io bis dicite Pæan.

At Auctor Apologetici Graviniani cavet,ne in Amici myſteria veniat. Ita ſane. Ait tamen:,,Son contento del pretto ſuon delle parole di cui ſi teſſe(Epiſtola videlicet ad ſe miſſa) ,, dell' ovvia ſignificazione della dicitura . ,, His verbis delicias ; ſeu potius chimeras Probabiliſmi , quibus fruitur , ſatis luculenter patefacit : An iſte tam inſulſæ , tam ineptæ deliciæ cadere in cordatum virum R. P. Joſephum Gravina ullo modo poſſunt ? Mihi vero tùm hoc tùm illud videtur. Quid igitur fit? Id equidem, probabiliter ſuſtineri poſſe Apologeticum Gravinianum immerito P. Joſepho Gravina adſcribi.

Et adhuc ſuadent illæ quiſquiliæ artis Grammaticæ, quas Patri Gravina , is adſcripſerit , qui hominis nomen , & gravitatem nullo in pretio habet . Scilicet Probabiliſta Graviniana larva indutus ſolœciſmos ac barbariſmos in *Antiprobabiliſmi Vindicati* latinitate venatur . Mirum ! qui tanta benignitate utitur morum regulis minus probabiliter interpretandis , cum tam difficilem, aſperumque ſe præbere pedagogianis regulis nec inflectendis, nec emolliendis.Si *Antiprobabiliſmus* ille *Vindicatus* per Orbilios,& Palemones vapularet, eſſet cauſa, cur ſævitiam,ac *rigoriſmum* ſub horum ferulas pateremur. Nunc is nos ludi magiſter verberat, cujus domeſticus teſtis Joannes Mariana ingenue ac ſincere faſſus eſt, cauſam hodiernæ barbarici larvatos Probabiliſtas dediſſe (nominibus parco; de vivis enim maxima cum cautione , ſi per tempus licet , dicendum eſt) ſed hos Probabiliſtas non ego , ſed Mariana ſugillat . At quo in libro ? In libro nimirum , *de Regimine Societatis* , quem P. Alegambe *in Bibliotheca Scriptorum Societatis* , vel ex integro Marianæ ſuppoſitum , vel ab æmulis interpolatum anceps, ac hærens evanida quadam dubitatione fabulatur . Ego vero contra pugnare non inſtituo , ne ad invidiam loqui videar : Lectorem tamen ad Hiſtoriam Congregationum de Auxiliis , quam Molinianorum doctiſſimus Expugnator *P. Hiacynthus Serry* elaboravit *lib.* 1. *c.* 17. ut de genuino Marianæ Opere non ineptam , nec dubiam conjecturam capiat , libentius remitto .

Age Marianæ verba demus in citato lib. *de Regimine Societatis c.*6.(*a*)
,, Plerumque . inquit , bonorum magiſtrorum inopia laboramus : ſic fere

,, fit

(*a*) *Apud* Serry *Hiſtoriam de Auxiliis in Defenſione adverſum querelam Caroli Metzenii Tevir. Syndici cap.* 3. *quæſt.* 495.

Digitized by Google

„ ſit, ut illi biennium, aut triennium literas doceant, qui nec ipſi eas didi-
„ cerunt, nec diſcere etiam volunt, qui ſtultorum mos eſt; adeoque *ab iis*
„ *barbariſmos, & improprietates diſcunt*, quibus numquam poſtea liberari
„ poſſunt, ſicut etiam alia iis inhærent, quæ in tenera illa ætate iis impri-
„ muntur. Nullum eſt dubium, quin hodie in Hiſpania minor latinæ lin-
„ guæ ſit notitia, quam quinquaginta ab hinc annis fuit „ (hi certe ſunt anni, qui cum enato Probabiliſmo coeunt. De quo tradit P. Vaſquez 1. 2. *D. Thomæ qu.* 19. *ar.*6. *diſp.*62. *c.*4. *n.*14., quod in Scholis ante *P. Medina* communiter doceri ſolitus fuerit.) „ Credo ergo (ſequitur Mariana)
„ immo vero pro certiſſimo, & explorato habeo, unam principaliſſimam
„ *damni iſtius cauſam eſſe, quoniam Societas noſtra ſtudiorum profeſſionem*
„ *in ſe ſuſcepit*. Quod ſi homines bene intelligerent *magnitudinem damni*
„ *ex iſta docendi via* reſultantis, non habeo dubium, quin ſcholas nobis adi-
„ merent, quemadmodum jam tractari cœpit.

Poſſem alia plura nonnullarum celeberrimarum Univerſitatum huc advocare teſtimonia, quæ laudatus P. Serry eo loci eruditè, ut omnia commemorat: quæque ego non de Probabiliſtis omnibus, ſed de larvatis, & circa quæſtiones, pugnaſque verborum languentibus, ſeſeque aliquid eſſe exiſtimantibus malim dicta, & enuntiata fuiſſe. Semper eos excipio Probabiliſtas licet, qui pari doctrina & pietate, (perinde ac de R.P. Joſepho Gravina mihi certum eſt cogitare) ſuas opiniones ita propugnant, non ut *in praxi* Probabiliſmum ſequantur, ſed ut in utramque partem dicendo, & audiendo eliciatur, & tanquam exprimatur aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quam proxime accedat. Quanquam illud poſtulo ab æquo Auctore, quiſquis ille ſit, qui Gravinianum Apologeticum adornavit, ut ſi ſuum in Pedagogium Antiprobabiliſtarum ſcripta vocare contendat, non ſtatim quicquid perturbatum in latino cujuſvis ſcriptoris ſermone occurrerit, quod pædagogianis regulis non reſpondeat, damnandum, obeloque fodiendum putet. Extaret Statilius! quot in ſolo Tulliano ſermone ſingularia notavit, ut illi juſtum volumen confecerint? Extaret Gaſpar Scioppius! quot in Terentio Varrone *neoteriſmos*, peregrinitates, barbariſmos, & ſolœciſmos collegit? Quid plura? Meminiſſet moleſtus Probabiliſta noſter, aliud eſſe grammaticè, aliud latinè ſcribere, ut Quintilianus *lib.* 1. *Inſtit. Orat. cap.* 6. admonet: optimos Grammaticos ſæpe peſſimos eſſe Oratores, & Poetas: ipſorum plerorumque ineptum, ac jejunum eſſe ingenium. Meminiſſet prætcrea, vel illa ipſa præcepta, quæ de figurata conſtructione traduntur. Non Ego appellem inſigniores artis Grammaticæ Præceptores, ſed mihi ſatis ſunt Emman. Alvari inſtitutiones, quibus pueri ad Syntaxin informari in hac Urbe ſub-larvati Probabiliſtæ ferulam conſueverunt. Has ſi cogitaſſet, nec leviter, & curſim (quod diſcentium damno haud raro fit) attigiſſet, profecto non eſſet auſus tam ſeverè obelum ſuum in *Antiprobabiliſmi Vindicati* dictiones, & conſtructiones ducere, ut nullus relinquatur figuratæ conſtru-

ctio-

ctioni locus. Quod ſi ita figuratam hanc nobis conſtructionem relinquat: exulet ergo a præceptis Grammaticorum, & Antiptoſis, & Enallage, quibus non modo una pars orationis pro alia, ſed etiam caſus, numeri, & tempora permutantur. Exulet Archaiſmus, qua potiſſimum figura priſca vetuſtas uſa eſt. Quid de Helleniſmo? Quid de Ellypſi, de Zeugmate, deque Syllepſi, & Prolepſi dicam? unum exempli cauſa locum commemorabo. Nam inter alia plura Gravinianus Probabiliſta cenſoriam ſeveritatem exercet in Concluſionem II. *Antiprobabiliſsimi Vindicati*. Hoc ex loco illam partem orationis arripit cavillandam, quæ eſt iſta: „ Quod „ S. Job c. 21. & 24. ajebat: *Recede a nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus*. „ Qua ſane parte ita propoſita (*In Apologetici Par. 2. Concl. 2. n. 43. & 44.*) ac potius detruncata, monſtroſum quiddam excudit, ac fingit in ſenſu illius ſententiæ Sancto Job attributæ. Quaſi Scriptor Probabilioriſta voluerit, Sanctum Job ex animi ſententia in tantam blaſphemiam delapſum eſſe, ut dixerit: *Recede a nobis* &c. Non id verba hæc referunt: non id Scriptor cogitavit: neque id quoque vel Orbilianus Grammaticus interpretari ſine ſumma imperitia ſuarum præceptionum poterit. Refer animum, ne quid neſcias, mi Probabiliſta; audi integram illius orationis partem. „ Et hac ratione (inquit Contradictor tuus Antiprobabiliſta) „ contingeret, quod S. Job c. 21. & 24. ajebat: *Recede a nobis* &c. An tibi tuos urebant oculos priora illa: „ Et hac ratione contingeret, quod „ S. Job ajebat? „ Cur hæc non legiſti? cur minus animadvertiſti? Sin autem animadvertiſſe, atque excuſſiſſe te iſta dicis, confitearis neceſſe eſt, te puerorum damno, quos olim inſtituebas, Syllepſeos figuram prorſus nec noviſſe, nec docuiſſe. Cum primum noveris, ſtatim intelliges, quod poſt verbum *ajebat*, per Syllepſin deſideratur infinitivum verbum, *contigiſſe*, idque tibi, è proximo aſſumendum eſſe mutato tamen tempore. Hujus figuræ uſu omne monſtrum, quod negotium tibi faceſſebat, procul abegiſſes, totaque conſtitiſſet Antiprobabiliſtica oratio in hanc formulam; „ Et hac ratione contingeret, quod Sancto Job contigiſſe *cap. 21. & 24.* „ ajebat: *Recede a nobis* &c. Equidem S. Job *cap. 21.* In laxos impiorum mores inquirens: „ Quare ergo, inquit, impii vivunt, ſublevati ſunt &c. mox *verſ.* 14. Quo eorum iniquitas pervenerit ex illorum blaſphemiis oſtendit. „ Qui dixerunt *Recede a nobis* &c. „ Id quod impiis ob vitam male actam contigit, ut tandem in contemtum Dei ipſius ruerint. Atque hunc caſum, impiorum ſyllepſeos figurâ locus ille ab Antiprobabiliſta tibi objectus expreſſit. An quiſquam eſt, cui hæc non perſpicua ſint? quæ pluribus verbis ludi-magiſter pueris tradere poteſt, Theologis nec debet, nec ſine pudore poteſt.

Sed jam tempus eſt, ut doceamus, quod eſt nobis hoc loco inſtitutum, an Apolegeticum tam frigidis, tamque jejunis conſtructum nugis P. Gravinæ fœtus genuinus habendus ſit? Nam poſt ea, quæ hactenus diximus,

Digitized by Google

Apocryphum eſſe, ac ſuppoſititium opus, ſuadent triumvirales illę ſermocinationes, quas velut in officina minervæ dixeris ad confirmandum P. Gravina mirificum in modum fuiſſe ornatas. E Politicis prior differit, alter in re Eccleſiaſtica verſatur, tertius ex omni Theologia, exque civili, & canonico jure non conſilium, ſed injuriam ſuggerit. Superi boni! Quot myſteria! quot montes aureos! quot fulmina! quot coruſca hinc inde fabricantur! Nunc in totum terrarum orbem quaſi de ſublimi loco ſententiam ferre: nunc ex jure Probabiliſtam ipſum ad conſerendam manum in rem, de qua nobiſcum certet, ducere: nunc certiſſimam victoriam nondum collatis ſignis canere: nunc litem iſtam non civilem, ſed quaſi ferro, & armis decernendam exprimere (a).

O Triumviratum electiſſimum! Eques unus, Eccleſiaſticus alter in dignitate conſtitutus, Regularis tertius ignoti ordinis, ſed titulis Magiſterii in Academia Ingolſtadienſi, ut opinor, aut Trevirenſi decoratus. Adeo ne depeculata optimis viris tibi inſignis Societas Jeſu hic Panormi videtur? etiamne tam imparata, & conſulentium vacua, ut foris ad Patrem Gravina deferendi ſint, qui de re Societatis animoſe cogitantem ſuis monitis tanquam mæniis confirment? Quod ſi is eſſet Pater Gravina, qui Societatem ſuam, Antiprobabiliſmi vindiciis, a nobis editis vellicatam putaſſet, ſuamque in fidem Probabiliſmi amiſſam arcem recepiſſet: quid magis abſurdum turpiuſque fingi, aut dici poſſet, quam commune Societatis negotium deliberantem ab exteris facti ſui rationem poſcere? domeſticos, quorum maxime intereſt, ſurda aure præterire? Incredibile eſt viro prudenti præſertim in re tam perſpicua conſilium intelligendi defuiſſe. Urget Bernardi præceptum *epiſt.* 42. ad Henricum Senonen. Archiep. *c.* 1. *n.* 2. quod ignorare illum non arbitror potuiſſe: Ad Conſilium (inquit Bernardus) „ ſoli eli„ gantur, qui & prudentes, eſſe videantur, & benevoli: „ Utram in ſociis ſuis laborioſus Pater Gravina deſideret? Prudentiam ne, an benevolentiam? Utramq; apud exteros difficile eſt reperire, alterutram in Societate deficere vix credibile.

Sed ut vela contraham: ſunt alia plura, atque innumera, quæ reverentiæ cauſa procul arceri ab honeſtate Patris Gravina oporteret. Qualia ſunt, quod ſibi laudem verbis Apoſtoli captat, quod ſuas Theſes velit fuſum per orbem terrarum plauſum accepiſſe, quod tria Antiprobabiliſtica trophea, quaſi Circei poculi magica imbutus arte, tres in cupreſſos converterit, unum horrendæ impoſturæ, alterum caſus præcipitis, tertium temerariæ adulterationis. Qualia item illa ſunt ridicula Stenotipatris, & Altonitis factitia nomina; Stenotipatrum Antiprobabiliſtæ attribuit, quia vendit, aut mercatur rigorem. Alitonitem vero Probabiliſtæ, quia veritatem emit, aut perſcrutatur. Homo in Probabiliſticis opinionibus ver-

(a) *Hæc in Præfatione Apolog. præſertim n. 25. & ſeqq.*

Digitized by Google

verſatus, non illam *Leſſianam* (*a*) meminit, qua vendendi ſententiam probabilem jus aſſeritur Probabiliſtis. Hanc pretio æſtimabilem tuentur. Ne multis: Nihil enim moror in mores noſtros cenſuras: Nihil ſtrophas, & fabellas in P. Natalem Alexandrum, Serry, Contenſonium, Caetanum, & ut prætercam ceteros, in illum ſplendidiſſimum Scholaſticæ Theologiæ decus, & ornamentum Melchiorem Canum; ut mihi quidem mirabile videatur, quod Angelico Doctori S. Thomæ pepercerit.

Sed jam ſtomachari, vel ipſe ego incipio, qui legendis Dialogis, Poſtillis, Claſſibus, Reflexionibus Gravinianis ipſe mihi factus ſum quæſtio: Cui bono? Quorſum proficio? Sæpe vix riſum contineo, hominem tanti cerebri mihi ante oculos pono, interdum Traſymachum Platonis in *Dialogo* 2. *de Republica in* Socratem iratum mente concipio, verbis exaudio, ſpecie, & ad aſpectum imaginor. Parumne iſta nomen, & honeſtatem Patris Gravina imminuunt, ſi ab ejus ore derivata, ejuſque ſtylo exarata defendantur? Numquam Scipio Africanus, ut eſt apud M. Tullium *lib.* 1. *de Amicit. c.* 16. *n.* 59. adduci potuit, illud dictum *ita amare oportere*, *ut aliquando ſis oſurus*, ut a Biante dictum crederet; ſed impuri cujuſdam, aut ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis opinabatur eſſe ſententiam. Quonam enim modo, qui ſapiens habitus eſſet unus e ſeptem Græcis in hanc ſtultitiam veniſſet, ut ſententiam tam inconditam, tamque ab Officio alienam pronuntiaret? Et dubitabitur utrum probabilis ratio ſuadeat, removendum eſſe ab hoc nugaci, & inofficioſo Apologetico nomen R. P. Joſephi Gravina Soc. Jeſu?

PARADOXUM II.

Diſcrimen reprehenſionum Probabiliſtam inter Gravinianum; & Dominicanum Antiprobabiliſtam. Iſte ſuo jure reprehendit falſam probabiliſticam Doctrinam. Ille nullo jure debacchatur contra Perſonas.

Etiam peccatores ex charitate diligendos eſſe S. Thomas edocet 22. *q.* 25. *ar.* 6. quatenus in eis natura capax eſt beatitudinis. Eorum autem culpa diligenda nullo modo eſt. Multo minus, ſi qua eorum latius manaret, falſa doctrina. Quo circa idem Angelicus *ad* 2. *ait*: „ quando in „ maximam malitiam incidunt, & inſanabiles fiunt, tunc non eſt eis ami-

(*a*) Leſſius *lib.* 2. *c.* 14. *dubit.* 9. *n.* 64. Valentia 22. *q.* 63. *ar.* 4. *diſ.* 5. *q.* 7. *p.* 4. Salon. 22. *q.* 62. *ar.* 4. *controv.* 2. Diana, & *plures alii Probabiliſtæ*, & *indicat* Tambur. *lib.* 8. *in Decal. c.* 7. §. 3. *n.* 13.

Digitized by Google

„ citiæ familiaritas exhibenda, & ideo hujuſmodi peccantes, de quibus „ magis præſumitur nocumentum aliorum, quam eorum emendatio ſecundum legem divinam, & humanam præcipiuntur occidi. Et hoc facit judex &c. „ Rurſus *opuſc.* 19. *c.* 14. concludit in hæc verba: „ Eſt ergo „ in reprehendentibus diſtinguendum: quia aut ordinate reprehendunt, „ & intentione correctionis, & ſunt non ſolum ferendi, ſed diligendi: aut „ reprehendendo falſa imponunt apud alios detrahentes: & tunc quandoque ſunt patienter ſuſtinendi, quando ſcilicet talis detractio non multum „ nocet aliis generando ſcandalum in cordibus auditorum; quandoque autem ſi fieri poteſt, ſunt repellendi non amore privatæ gloriæ, ſed communis utilitatis &c. „

Et *quodlib.* 5. *ar.* 25. *c.* Si vero doctor doceat veram doctrinam, ex qua ſequitur ſpirituale detrimentum in auditoribus non ex defectu ipſius, ſed „ ex defectu aliorum, puta *ſi aliqui dicendo aliqua erronea inducerent homines ad aliquam religionem*..... & in hoc caſu non tenetur ceſſare a ſua doctrina. Intrare enim religionem propter „ errorem non eſt bonum. Unde ſic non retrahit homines a meliori bono „ talis doctor: Et hoc eſt, quod Gregorius dicit in Paſtorali, ſicut incauta locutio in errorem protrahit: ita indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri „ poterant in errorem derelinquit. „ Hinc *art.* 26. ejuſdem quodl. 5. religioſos viros dupliciter impugnari poſſe tradit. Uno quidem modo quantum ad perſonas proprias: ut pote cum inferuntur eis injuriæ perſonales. Alio modo poſſunt impugnari quantum ad ſtatum eorum: ut puta cum aliquis verbis, vel factis perfectionis ſtatui, derogat. Et pluribus interjectis, ad extremum concludit ex Chryſoſtomo: „ Illius (Chriſti Domini) diſcamus exemplo noſtras quidem injurias magnanimiter ſuſtinere. Dei „ autem injurias, nec uſque ad auditum ſufferre, quoniam in propriis injuriis eſſe quemlibet patientem laudabile eſt. Injurias autem Dei diſſimulare nimis eſt impium. „

Hoc ſpiritu Apoſtolus Paulus in Elimam Magum convitia dixit: *Act.* 13, 10. „ O plene, inquit, omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. „ Quibus ſimilia in ejus Epiſtolis Canonicis ad Corinthios præſertim, & ad Galatas occurrunt: quæ convitia non eſſe *formaliter*, & *per ſe* S. Thomas edocet 22. *q.* 72. *ar.* 2. : *ſed per accidens*, & *materialiter*, in quantum dicitur id, quod poteſt eſſe convicium, vel contumelia. Atque hujus generis ſunt verba contumelioſa, & maledicta, quibus Antiprobabiliſtæ utuntur, cum reſiſtunt, & pugnant contra ſuos accuſatores. Diligunt certe illos in his, quæ charitate diligenda ſunt, optantque eis bonum vitæ æternæ, cujus ſunt conſortes, item id omne, quod ad hoc bonum obtinendum, adipiſcendumque confert, & adminiculatur. Sicubi ſpes affulget, ut emergant, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recipiant, blanda verba, ſuaveloquentia,

dul-

Digitized by Google

dulciſſima etiam pacis, & comitatis plena adhibere non ceſſant. Oſtendunt ſe non ſtudio certandi adductos, neque humanæ ſapientiæ oſtentandæ cauſa ad hanc ſe potiſſimum diſputationem applicuiſſe: unum tantum ab eis contendere, ut quam proxime ad geminam Dei, & proximi charitatem accedatur. Neminem igitur lædunt, neminem circumveniunt, neminem contemnunt. Sanare cupiunt, non vim inferre, non vulnera infligere.

Sin autem ſtupor invadit, & pertinacia (quod iis evenit, qui certare pugnaciter malunt, & cum ſe ipſos, tum etiam alios fruſtrari.) omnes nervos in id Antiprobabiliſtæ contendunt, ne aliqui dicendo laxas opiniones ſpirituale nocumentum moribus, animabuſque auditorum importent. Canes Domini ſunt, ea quæ geruntur a lupis agnoſcunt: clamant, latrare non deſinunt: cavent indiſcretum illud a Gregorio reprehenſum ſilentium; nec eos, qui ſuis ſignificationibus erudiri poſſunt, in errorem derelinquunt. At mordent, & caninos dentes figunt. Minime vero in homines, ſed in eorum errores, in eorum contra veritatem doctrinæ criminationes, in laxas, & corruptas opiniones, quæ charitatis regnum evertunt, cupiditatis porro ædificant tyrannidem.

Quam commodum nunc nobis eſſet maledicta cum maledictis contendere, reprehenſiones cum reprehenſionibus. Doce, mi Probabiliſta, id quod debes, unam delige ex *Antiprobabiliſmo vindicato* criminationem contra mores tuos, contra perſonam.

§. I.
Examinantur maledicta Antiprobabiliſmi in adverſarium Patrem Gravina.

MAledictorum claſſem Gravinianus Probabiliſta adornavit. Maledicta, inquit, contra ſuum Adverſarium P. Gravina (*in* 3. *p. n.* 514. *pag.* 224.). Audiamus, quæ ſint iſta: *Aerem certe verberans*. Hoc eſt primum maledictum: Rurſus aliud: *Animoſus admirabiliter*: Redde tertium: *præſertim in infamando Caetano*: Adde quartum: *Bonis hominibus fucum faciens, truncato textu*: Quintum: *Canino dente*: Sextum: *Commentum inaniter, maleque conſarciens*. Horret animus tam tetra maledicta audire. Quid? jocari me putas lector? Rides me hac arte horrere? Confer, oro te, loca Concluſionum *Antiprobabiliſmi* in 2. p. ejuſdem *Apologetici*. Quære ſint ne ita dicta ab Antiprobabiliſta perinde ac in iſta 3. partis claſſe deſcribuntur. Nam labor longius. Progredior ad cætera. Deligam alia duo, quæ mihi videntur pejora, ſed hac lege, ut contra Gravinianam ambiguam interpretationem Antiprobabiliſticus textus ex altera parte collocetur.

Am-

Digitized by Google

Ambigua Interpretatio Probabiliſtica.

Ex 3. p. Apol. Claſſe 1. n. 514.

Profuſor audax, & inverecundus falſitatis.

Textus Antiprobabiliſmi.

Ex 2. p. Apol. Concl. 48.

Quamobrem valde cavendum ab iis, quæ jactantur, ac in lucem ſcriptis ſuis mittuntur a Probabiliſtis, ſi in facto tam perſpicuo Epochæ Probabilioriſmi tam enormem falſitatem obtrudere, eamque ut veritatem meridiana luce clariorem audacter profundere non verentur.

En maledictum: Pater Gravina *Profuſor audax, & inverecundus falſitatis*! Quis hoc dixit. Pater ipſe Gravina; an textus Antiprobabiliſticus. Excitabo unum aliquem ex Gigantibus illis, quos poetæ ferunt bellum diis immortalibus intuliſſe. Ah hic tam acer, tamque robuſtus erit, ut ita valeat textum Antiprobabiliſticum intorquere, quaſi id referat, quod male in ſe Auctor Gravinianus dictum interpretatur. Quis tam acutus, & peritus Dialecticus exponibiles, obligationes, inſolubiles, reflexivas, aliave id genus obſcura logica interpretatur, ut ſtatuat laudata verba hujus Concluſionis Antiprobabiliſticæ exponi ſic oportere: P. Gravina Probabiliſta *profuſor audax, & inverecundus falſitatis?* Hoc modo quivis Probabiliſta in ſe unum eandem criminationem directam, intortamque opinabitur. Sed ſit hæc ipſius Probabiliſmi vis, ac poteſtas, ut ſecure, ac fidenter, quæ minus probabiles interpretationes ſibi videntur, aſſeveret. Certe non aliter maledicta, & convicia dicenda hæc ſunt, ac illa *Matth.* 7, 15. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Quæ ſi convicia appellare libet: Eſto: modo non *formaliter*, & per ſe, *ſed per accidens & materialiter*, quatenus id ſunt, quod poteſt eſſe convicium, vel maledictum. Niſi verò convicii reos agere malimus Gregorium, Nazianzenum, Hieronymum, Bernardum, pleroſque alios Patres, qui hæc, & talia contra ſuos adverſarios tot epiſtolis, & Apologeticis uſurparunt. Quæ ſane non in homines, ſed in eorum perverſam doctrinam, & pravos mores uſurparunt.

Sed jam alterum maledictum in adverſarium Patrem Gravina a larvato Probabiliſta notatum excutiamus.

Ambigua Interpretatio Probabiliſtica.

Ex 3. p. Apol. Claſſe 1. n. 514.

Sanctorum Auguſtini, & Thomæ clariſſimæ doctrinæ audaciſſimus Calu-

Textus Antiprobabiliſmi.

Ex 2. p. Apol. Concl. XII.

Hinc evidenter liquet, quam temere aſſertum ſit Rigoriſmum in eo ver-

Digitized by Google

lumniator : Quam maxime temerarius aſſertor.

verſari , ut doceat : uſum opinionis legi dubiæ ſuffragantis eſſe præceptum; atque adeo Rigoriſmi nota cenſeri debere audaciſſime dicitur doctrinam a S. Thoma clariſſimis verbis expreſſam, & a S. Auguſtino traditam &c.

Hic ſi Probabiliſtæ omnes cum Antiprobabiliſtis exiſtant, ſi cum antiquis juniores volent contra me pugnare, tamen ſtuporem Graviniani Probabiliſtæ admirentur neceſſe eſt. Non in maledicti, & convicii loco habet, quod doctrina a SS. Auguſtino, & Thoma clariſſime tradita nota Rigoriſmi inuratur. Sed eo arcuatus Scorpius ab Auguſtino, & Thoma venenum traducit, ut ſibi vulnus inflictum dicat ex eo quod *audaciſſimus* perhibetur *Auguſtini, & Thomæ calumniator*. Proh ſuperi boni! qui rectius nobiſcum loqui poſſetis, ſi eſſetis, verſareminique nobiſcum? Si ejus fallacias, æquivocationes, & nugas reprehenſuri eſſetis, qui, in dubiis tutiorem partem ſequi nos oportere, rigoriſmum eſſe definit, & interpretatur?

Dubium ab opinione longe multum differre nemo, vel mediocris Probabiliſta neſcit; Divus Thomas *q. de verit.* 14. *ar.* 1. luculenter exponit. Vos eſtis, o ſuperi, qui legem dubiam præcipitis in tutiorem partem nobis eſſe ſequendam. Hoc veſtrum præceptum larvatus noſter Probabiliſta eludere ſe ſperat, quia conditionem addit, ſi quando *deſtituta ea ſit valida ratione, ponderoſo Patrocinio.* Nec intelligit eam pro non adjecta cenſeri; quandoquidem dubium æquis contrariarum rationum ponderibus libratur.

Hac conditione tamen minime uſus eſt *in p. parte Apologetici n.* 82. Quo loco per interrogationem ſimpliciter tutiorem partem rigoriſmi inſimulat, & lamentatur. Id temere aſſeri Antiprobabiliſta contendit, ac niſi per audaciam huic præcepto notam rigoriſmi inuri non poſſe denuntiat: Et tamen hæc duo convicia temeritas, & audacia contra iniquam rigoriſmi cenſuram dicta ad Perſonam ipſius Probabiliſtæ transferuntur. Hac fallaci æquivocatione in Claſſe 1. notatur maledictum: *Quam maxime temerarius aſſertor*, & aliud: *SS. Auguſtini, & Thomæ audaciſſimus calumniator*. His duobus, atque aliis ſimilibus poſitis actio injuriarum contra Antiprobabiliſtam inſtituitur.

Admonet me locus, ut memetipſum ante denuntiem, atque de meo crimine jam ipſe confitear. Ego ſum ille, qui mores Probabiliſtarum, eorumque artificia, miranda illa quidem in obligandis ſociorum vulneribus deſcripſi; ego novos arietes, quos non ſemel, ſed crebro machinari conſueverunt, indicavi. Quid ſupponendis libris egerint, iiſque adſcribendis qui nec auctores ſunt, nec talia ſentire potuerunt, non obſcuris, ut opinor indiciis, ſed re comperta, & ſatis pervagata oſtendi. Vitiligatores quoſdam, & pertinaces oppugnatores expoſtulavi: larvatum Probabiliſtam, qui

Gra-

Digitized by Google

Gravinianam perſonam induerit, quique tot criminationes inconcinnas, neque ad rem Probabiliſticam attinentes inſtruxit, ut deſineret nobis exprobrare, nec injuriis contra nos, ſed viribus, hoc eſt, argumentis pugnaret, non acerbis objurgationibus, ſed clementi contentione, atque Sanctorum præceptis, & inſtitutionibus commonendum ſuſcepi. At iſta quæ dixi, quæque dicturus ſum, crimini mihi danda erunt, quod maledicta, & convicia eſſe poſſunt? Sed maledicendi voluntate neque dicuntur, neque dicta ſunt. Ea tantum attingimus, quæ coercenda Probabiliſmi elatione, & nimia in contradicendo perverſitate tam ſunt neceſſaria, quam quod maxime. Modum tenemus, ne exceſſus adſit, vitia præter Probabiliſmum nulla objicimus. Nam ut ad urendum, & ſecandum medici, ſic nos ad hoc genus objurgandi caute, invitique venimus.

Illud etiam providemus, ut hominibus, & perſonis parcatur: ipſaque Probabiliſtarum genera, ſtatus, nomina, & occultare, & diſſimulare, quantum per tempus licet, ſtudemus. Conſilii noſtri ratio eſt: quia non obeſſe, ſed prodeſſe, vel ipſis Probabiliſtis nobis infenſiſſimis optamus; quia item geminam Dei, & proximi dilectionem conſtruere, atque ejus regnum latius amplificare in primis contendimus. Imitati ſumus Auguſtinum, imbelles licet, ac infirmæ ſint noſtræ vires, ſed conati tamen ſumus proxime ad Auguſtinum accedere, qui in hoſtes Pelagianos diſputans lib. *de Geſtis Pelag.* c. 22. „ ſalubrius ſane *apud illos agi* docebat ſi hominum nominibus tacitis ipſi refutarentur, & redarguerentur errores. „ At geſta Pelagianorum, artificia, moreſque docendi, & repugnandi, quibus illi nitebantur, deſcribere, atque patefacere, non alienum ab ipſa errorum reprehenſione putavit. Id quod S. Thomas contra Guilhelmum de S. Amore, & Sigerium Magiſtros Pariſienſes *op.* 19. perſecutus eſt.

Dabunt igitur mihi veniam Probabiliſtæ hoſtes noſtri; quod cum ipſorum errata reprehendere debeamus, prava illa, & vitioſa in moribus crimina indicare cogimur, quæ cum ipſa Probabiliſmi cauſa conjuncta, neque præteriri a nobis, neque avelli a Probabiliſmo ſine indiſcreti ſilentii reatu potuerunt. Qua in re non eadem eſt noſtra, ac Probabiliſtarum cauſa. Quodne temere a me dictum putes, quæ ſubjiciam lector diligenter attende.

§. 2.

Probabiliſtis confitentibus Antiprobabiliſmus Dominicanus nihil docet ſanæ doctrinæ, ac bonis moribus adverſum.

NAm larvatus Probabiliſta Gravinianus, ſive quod ſtatum controverſiæ non ſatis aſſecutus ſit, ſive quod Probabiliſmum ſuum præſentiat tandem aliquando ab Eccleſiæ judicio, atro carbone configendum eſſe, quantum fieri poteſt, illius horrorem minuere, & fucare conatur. Itaque Pro-

Probabilioriſmi, & Probabiliſmi quæſtionem inter eas collocat (*In p. p. Apolog. n.* 564. *& ſeq.*) de quibus S. Bonaventura *in* 2. XXIV. *a.* 2. *q.* 1. ait: „ Prædicta quæſtio plus continet curioſitatis, quam utilitatis propter „ hoc, quod ſive una pars teneatur, ſive altera nullum præjudicium nec „ fidei, nec moribus generatur: „ Recole Concl. 28. (*in* 2. *p. Apologetici ejuſdem*) ubi ait: „ Catholice impugnari Probabiliſmus poteſt, & a Je„ ſuitis perpaucis licet, impugnatur &c., „ Probabiliſta inſtar ovium, & avium alii alios ſequuntur. Nihil eſt igitur neceſſe alios laudare, ex quibus benignus noſter Probabiliſta hanc ſuam ſententiam hauſit. Unum adjiciam P. Carolum Caſnedi, qui *tom.*2.*diſp.*XI.*ſect.*6.§.1. futilem eſſe ſtatuit controverſiam de licito uſu opinionis ſive minus, ſive magis probabilis. Sane Pater Caſnedi eam animo, & menti ſuæ perſuaſionem infixit (quod apertis verbis patefacit *num.* 143. *pag.* 122.) ut ſi damnaretur uſus ſententiæ minus tutæ, & minus probabilis, adhuc tamen cohibita minime eſſet laxitas opinandi, nec Chriſtianorum mores ad ſeverioris Ethicæ diſciplinam conformarentur: „ quin potius, inquit, errabitur, quia eadem minus probabilis, ex qua ſe„ quitur laxitas, videri poteſt alicui probabilior, ut accidit ante damna„ tionem Patronis damnatarum. „ Quam noxia ſit hæc opinio Caſnediana, nullum ut perniciofius Ethicæ Chriſtianæ, & pejus ulcus inferri poſſit, pluribus argumentatus clarus Pater Daniel Concina *in Appar. Theol. tom.* 2. *lib.* 3. *diſſer.* 10. *c.* 5. Quare non eſt opus plura argumentari. Sed alia eſt ratio, qua nititur Gravinianus Probabiliſta. Docet namque in hæc verba: „ Perchè dopo che due opinioni tra loro contrarie anno l' indennità uni„ verſale, conforme vi moſtrai ne' primi giorni; dopo che amendue ſi pro„ vano con ſode Ragioni, ſi difendono da claſſici Autori; il voler bilancia„ re ragioni tali tra loro, Autori tali tra loro, e bilanciarle nella propria „ cauſa principalmente, di certo non è pregio dell'opera; anzi (a dirla chia„ ra) l'è una vanità, l'è un ardire ad ogni paſſo ſentenziare in Tribunali sì „ zaroſi. „ Quibus rebus ita expoſitis hoc manet, Probabiliſtam noſtrum hanc opinionem adamaviſſe, ut ſive una, ſive altera pars ſtatuatur, nihil majoris boni, aut detrimenti, & laxitatis obveniat, quod fidei, aut moribus proſit, vel noxium ſit; æquamque id circo eſſe Probabiliſmi, & Antiprobabiliſmi ſive utilitatem, ſive incommoditatem. Quod dat, accipio. Utcunque enim de Antiprobabiliſmo ſentiat, negare nihilhominus nequit, nihil ab Antiprobabiliſtis contra bonos mores detrimenti afferri. Quo circa judice ipſo Probabiliſta noſtro, ubi Probabiliſtæ contra Antiprobabiliſtas dimicant, in eam partem, & rationem non dimicant, ut redarguant pravam contra bonos mores doctrinam.

§. III.
His contraria docent Dominicani de Probabiliſtarum falſa doctrina.

OMnes Antiprobabiliſtæ ne uno quidem, ut exiſtimo repugnante ſentiunt, ſe ſtultos fore, ſi pro Antiprobabiliſmo cauſam dicerent hac mente, ut minus probabilis opinio licita ſit, nihilque bonis moribus officiat. Quantum voce conniti poſſunt, clamant, inſtant, denuntiant, monent, ac vociferantur: Probabiliſmum maximas clades inferre Ethicæ Chriſtianæ, morum diſciplinam laxare, ſummum ad exitium charitatis bonum adducere, ipſumque regnum cupiditatis ædificare. Sed cur ego ſic ago? quia nimirum non eſt par utriuſque contentio, non par reprehendendi cauſa, & ratio. Si Antiprobabiliſtæ ut ædificent bonum charitatis, utque a bonis moribus procul arceant pravam, laxamque doctrinam, pugnant, jure ſuo totis lacertis pugnant. A contraria vero parte ſi Probabiliſtæ hac mente pugnant, ut ſciant, & fateantur ſe nihil reprehendere, quod ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus obſit: doceant modo nos, quam juſtam cauſam criminandi, & reprehendendi pro ſuo Probabiliſmo prætexere poſſint? Ego vero ne colorare quidem ullam poſſe Gravinianum Probabiliſtam noſtrum, & ajo, & contendo. Niſi id planum tibi faciam, Lector, reliqua a me fingi putato.

§. IV.
Oſtendit injuſtas Probabiliſtæ Graviniani reprehenſiones in Antiprobabiliſtas Dominicanos.

ESt equidem Doctoris Theologi in his, quæ ad mores pertinent docere ſanam doctrinam, quæ & piis opituletur, & adverſus impios defendatur. Non enim ut in ſpeculatrici Theologia divinorum nudam, & ſimplicem cognitionem, ſic in ea, quæ mores ad pietatem informat, qualemcumque notitiam, aut eruditionem quærimus: ſed illam quæ geminam Dei, & proximi charitatem ædificet. De qua re cum inter omnes conveniat, argumentari non eſt opus. Auguſtinus, Magiſter ſententiarum, Thomas, Melchior Canus locupletiſſimi teſtes ſunt. Sit ergo hoc fixum, exploratumque, quod nemo niſi bardus, & plumbeus ibit inficias, in his, quæ ad mores pertinent, juſtam docendi, aut reprehendendi cauſam Theologo deeſſe, niſi hoc provideat, ut ſana doctrina charitatis ædificium extruat. Hinc Timotheum monet Apoſtolus (1, *ad Tim.* 1, 4.) ut denuntiet, ne intendamus *fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæſtionem præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt, in fide. Finis autem præcepti eſt charitas*

ritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium.

At enim Gravinianus Probabiliſta confitetur cum Patre Caſnedi quæſtionem *de licito uſu ſive minus, ſive magis probabilis*, curioſitatis plus habere, quam utilitatis; quin etiam ſive hoc, ſive illud teneatur æqua eſſe incommoda, & damna contra fidem, & mores. Non mea ſunt iſta, ſed ipſiſſima verba utriuſque Probabiliſtæ.

Sine modo, Graviniane Probabiliſta, me hac uti complexione contra illas tot nænias, & ſtrophas, quibus non unum, aut alterum Antiprobabiliſtam, ſed totam Dominicanam familiam per ſummam probabiliſticam benignitatem proſcindis, exerces, oneras, ac criminaris. Complexio hæc eſt. Si Theologus juſtam reprehendendi cauſam nullam habet, niſi de iis agatur, quæ ſanæ doctrinæ, & charitatis ædificio nocent: Et, ſi Reverentia veſtra Probabiliſta cum ſit, ac videri velit, fateatur, ſive Probabiliſmum, ſive Antiprobabiliſmum teneamus, *nullum præjudicium* nec fidei, nec moribus ingeri: non eſt dubium quin Reverentia veſtra fateri cogatur, juſtam nullam vobis fuiſſe cauſam garriendi tot nænias, & nugas, quibus vapulent, aut in crimen vocentur Antiprobabiliſtæ Dominicani. Primum quod poſui, Theologi munus eſt, tibi, ut opinor, mi Probabiliſta, mihique incontroverſum, cæteris autem omnibus Theologis, & compertum, & approbatum. Alterum quod ſumo, tuum judicium eſt; nam confiteris, etiam *Probabiliſmum catholice a nobis poſſe impugnari*. Extremum illud, quod ſequitur, ex his ne duobus conficiatur, an ſecus, artem illam Syllogiſticam tuam conſule, quam *Jeſuiticam* ex eo facis, & appellas *in Apolog. p. p. n.* 561., quod apud ſocios Probabiliſtas tantùm verſetur. Veſtra eſt igitur iſta poſſeſſio tota, vos ſoli Dialectici. Tute vero egregius Chryſippus, qui arti huic & ſedem, & domicilium præbuiſti. A te igitur ſumenda mihi hæc ars eſt, a quo expilati ſumus. Tu me doceas ex iis, quæ ſumpſi confecta ne ſit illa rationis Concluſio: Injuria tot in nos reprehenſiones a te dictas fuiſſe. Nam quo minus ſcirem, impedimento fuit, quod ne unum quidem Syllogiſmum tribus in voluminibus tuis invenerim, unde poſſim proficere.

§. V.
Tradit diſcrimen Gravinianarum, & noſtrarum reprehenſionum.

VEnio nunc quo me vocat inſtitutum diſcrimen noſtrarum, & Gravinianarum reprehenſionum. Ac de noſtris quidem contra Probabiliſtas reprehenſionibus, perſpicuum eſt ex iis, quæ paulo ante oſtendi, unam laxam, & morum corruptricem doctrinam Nos reprehendiſſe, neque

aliam in rationem Probabiliſtarum perſonam attigiſſe, niſi quatenus eorum geſta cum Probabiliſmo, perinde ac illa Pelagianorum cum Pelagiana hæreſi, conjuncta fuere. Quare nec convicia, nec injurias in perſonam alicujus diximus, ſiqua vero diximus non convicia *formaliter*, & per ſe, ſed per accidens, & *materialiter*, ut eſt apud S. Thomam, dicenda ſunt, in quantum ſunt id, quod poteſt eſſe contumeliæ, & maledicti materia. Utimur autem ea moderatione ad reprehendendum, qua medici ad urendum, & ſecandum, quippe qui inviti, & magna cum cautione objurgamus. Hæc quia perſpicuè in ſuperioribus demonſtrata ſunt, amplius nihil attinet approbari.

Reliquum eſt, ut pedem conferamus, propriuſque ad Probabiliſtæ noſtri Graviniani reprehenſiones accedamus, qui mihi videtur ſententiam contra ſemet ipſum, ſuumque Probabiliſmum ſcripſiſſe, cum ſcripſit, ac poſito pudore generosè teſtatus eſt, ſibi hoc eſſe perſuaſum, *ſive minus*, *ſive magis probabilis opinio* licere defendatur, nullum præjudicium nec fidei, nec moribus afferri. Ecqua alia formula iniqui Politici extra Eccleſiam palantes obganniunt, cum dicunt quenquam in ſua Religione ſalutem aſſequi poſſe? nonne & hæretici confitentur omnes nos catholicos ſalvari poſſe, modo & ipſi quoque ſalutis conſortes ſint, quia ſive hoc, ſive illud credatur nihil obeſt fidei articulis illis, quos fundamentales comminiſcuntur? Quamobrem ſi quas Catholici Eterodoxis iſtis objiciunt, juſtæ ſunt reprehenſiones in falſam doctrinam, contra vero injuſtæ ſunt, quas eterodoxi in Catholicos jactant: quandoquidem una eſt vera Eccleſia, una doctrina, una fides, unus Deus: cogitet profecto Gravinianus Probabiliſta, quam longe ab omni juſtitia ejus reprehenſiones aberrent, quas ipſe contra nos eructat, dum ſive hoc, ſive illud teneatur, nihil obeſſe fidei, aut moribus profitetur.

Excandeſcit hoc loco Gravinianus Probabiliſta. Quid? tu me iniquis Politicis accenſes? opiniones ne Catholicorum cum eterodoxis comparas? Abſit invidia verbo. Non ego te iniquum Politicum, non hæreticum criminor. Non de cenſura nobis inſtituta quæſtio eſt. De veritate doctrinæ diſputamus. Illa pertinaciam reprimit, hæc falſitatem. Ut veritas a quocumque ſit, bona eſt: ſic falſitas, a quocumque proficiſcitur, noxia. Sed duo Graviniana effugia præoccupanda ſunt, quæ mox refellam.

§. VI.
Præoccupat duo effugia Probabiliſtica.

INtelligo duo tibi, mi Probabiliſta, præſto eſſe effugia. Alterum charitatis, alterum, ut vocas ipſe, indemnitatis, ſeu potius immunitatis. Illud charitatis erga proximum, hoc immunitatis a lege, vel cenſura Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiæ: „ Numquid, inquit Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum* c. XVII., „ eſt hæreſis, quæ non veritatem ſe nominet? & quanto eſt ſuperbior, tan-„ to magis ſe etiam perfectam nominat veritatem. „ Similiter Probabiliſmus, qui indulgere moribus ſtudet, charitatis dulce nomen prætendit; & quanto eſt a lege, vel a cenſura ſecurior, tanto magis ſe etiam perfectam nominabit charitatem. Quid primum querar? Immunitatem ne iſtam, an charitatem? Neutra namque ſuffragatur, ut pro eo pugnet, quod *catholice impugnari poteſt*, & contra id pugnet, quod nec fidei, nec bonis moribus nocet. Ordiamur ab Immunitate. Porro ſi id circo juſtæ objurgationes ſint, quia id, pro quo quis objurgat, immune eſt a lege, vel cenſura, hoc jure Arianorum, Lutheranorum, Calviniſtarum, & hujus furfuris aliorum criminationes contra Catholicos, juſtæ dici poterant ante illarum hæreſum damnationem. Immunitas a lege, vel cenſura Eccleſiæ, tantum facit probabilitatem *impunitatis*. Qualem præbent Summi Pontifices, Concilia, Fidei Quæſitores, & Cenſores librorum, cum approbant edi poſſe hunc, aut illum librum. Quod longe ſecus eſt de probabilitate *conſcientiæ*, quæ tota nititur veritate doctrinæ, ut hæc & piis opituletur, & contra impios defendatur. Sed & toto aberrat oſtio Gravinianus infenſus noſter objurgator, ſi Antiprobabiliſtas, idcirco ſibi licere putat, immiti virga exercere, quia Probabiliſmus etiamnum ab Eccleſia toleratur. Et quid dico, toleratur? Confitentur Probabiliſtæ cogentibus decretis Alex. VII., & Innoc. XI. damnatum Probabiliſmum in re ſacramentaria, in litibus dirimendis, bellis indicendis, ægrotis curandis, in articulis Fidei credendis, in beneficiis conferendis: uno verbo, in univerſis fere quæſtionibus ſuper ſeptem ſecundæ tabulæ præceptis, quibus damnum temporale obvenire proximo ſolet. Oſtendit P. Daniel Concina *in tom.* 2. *Appar. Theol. Mor. lib.* 3. *de Probabil. diſſer.* 5. *c.* 7. vi juſti ratiocinii Probabiliſmum in cæteris proſcriptum, confixumque cenſeri oportere. Quod ſi proſcriptus non ſit, futurum ut proſcribatur. Verum eſto; habeant Probabiliſtæ cauſam ſuam immunem, ut volunt ab omni lege, ab omni publica cenſura. Quid tum inde? eam tamen non defendunt tanquam ſanam doctrinam, cujus adverſa, quam Antiprobabiliſmus propugnat, ut bonis moribus noxia reprehendatur. Agnoſcunt namque, & negare non poſſunt Antiprobabiliſmum fidei, & bonis moribus velificari. Quid expectandum amplius? An quia opinio quævis immunis eſt, atque expers cenſuræ, juſtum increpandi titulum, juſtamque cauſam obtinebit, ut in contradictores tanquam contra errantes a veritate, qua nugis, qua ſtrophis, qua dicteriis, & criminationibus animadvertatur? Vidit hoc S. Thomas in ea velitatione, qua divites reprehendebant paupertatem religioſam, & veſtium vilitatem *opuſc.* 19. *c.* 6. & 8. Immunis tum erat a cenſura illa opinio, quæ divitias paupertati ad hujus vitæ cultum, honeſtatemque anteponebat. Nihilominus D. Thomas non divitibus juſtam reprehendendi cauſam factam, datamque putavit.

Hac de cauſa ſuos contradictores inde uſque ab ipſa procemii inchoatione perverſos homines, aſtuti, & pravi conſilii plenos appellat, iiſque paupertatem blaſphemantibus accommodat illud 2, Petri 2. „ Multi ſequentur „ eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, i. bona opera. „ Et paulo poſt de veſtium vilitate, cæteriſque objectis ad religioſorum infamiam notare volens. „ Septimo, inquit, famam Sanctorum prædicti mi„ niſtri diaboli nituntur corrumpere in tantum, ut non ſolum per ſe apud „ præſentes Sanctos Dei infament verbo, ſed etiam literas per univerſum „ orbem dirigant. . . . . hoc utimur teſtimonio (*ex glo.* „ *Hieronymi in Hier.* 23.) adverſus eos, qui epiſtolas plenas menda„ cio, & fraudulentia, & perjurio in orbem dirigunt: & aures audientium „ polluunt. Non enim ſufficit eis iniquitatem propriam devorare, vel pro„ ximos lædere: ſed quod ſemel oderunt, per totum orbem conantur infa„ mare, & ubique blaſphemias ſeminare. „ Ejuſdem generis ſunt illa, quæ initio *cap.* 8. ex eodem Hieronymo improperat. Age vero iſtius opinionis qualis fuerit illo tempore, cum hæc D. Thomas ſcribebat contra Pariſienſes Doctores, immunitas, clam eſſe Gravinianum Probabiliſtam non arbitror. Suſpenſa adhuc tenebatur, nec ulla a Clem. IV. P. M. dicta in illos fuerat ſententia. Immunis igitur a cenſura tum extitit illa contraria opinio, quam poſtea Rom. Pont. reprehendit, ac urbe, & agro exterminavit. At iſthæc immunitas tamen nullam tum juſtam reprehendendi cauſam Doctoribus adverſis offerre in D. Thomam potuit. Immo vero ne D. Thomæ quidem juſtitiam reprehenſionum in illos dictarum imminuit. Sanam quippe Thomas doctrinam tuebatur, illi Doctores dumtaxat immunem. Quale igitur ſit immunitatis effugium, quo ſe Gravinianus Probabiliſta, ſuaſque in nos reprehenſiones tegat, ſatis mihi videor hactenus explicuiſſe.

Alterum autem quod è proximi charitate paratur, nec principium habere, neque exitum invenire poteſt. Undenam hæc charitas petitur? An a ſana doctrina? Certe ſana illa doctrina nec eſſe, nec videri cuiquam poteſt, quam catholice licet impugnari, & cujus contraria æque licere, & in uſum conferri poſſe defenditur. Catholicæ namque veritatis doctor, non contendit verbis, ad nihil enim, ut ait Apoſt. 2. *ad Tim.* 2, 14. *& ſeqq.* utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium: ſtultas & ſine diſciplina quæſtiones devitat: amplectitur eum (*ad Tit.* 1, 9.) qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, exhortatur in doctrina ſana, & eos arguit, qui contradicunt. Quod eſt certiſſimum Antiprobabiliſtarum a Probabiliſtis diſcrimen. Non enim Antiprobabiliſtæ pugnant pro eo probabili, quod æque licere concedant, perinde ac contrarium minus probabile. Sed omnes nervos contendunt, hoc minus probabile deliberari non poſſe ſine jactura charitatis, ejuſque regnum deſtruere, non ædificare. Atque hæc cauſa eſt, cur charitas probabiliſtica careat principio, hoc eſt ſana doctrina, unde petatur. Supereſt, ut exitum intercludamus.

Non

Digitized by Google

Non ego nunc de eo exitu charitatis diſſero, quo P. Pithanophilus in libro, quem inſcripſit, *Probabiliſmus methodo mathematica demonſtratus, pag.* 220. non eſt veritus effutire hæc verba: „ Thomiſtæ ſub peccato mor- „ tali tenentur amplecti, defendere, ac doceri Probabiliſinum. „ Cujus ſive inſomnia, ſive deliria ſibilis, non argumentis refellenda ſunt. Non de eorum item nunc diſſero charitatis exitu, qui fucata benignitate utuntur, quique idcirco benignas opiniones conſulentibus reſpondent, ut iſtorum ſe accommodent cupiditati, & genio. Habet Probabiliſmus regulam lesbiam, Theologiam nimirum accommodatitiam, qua jugum Domini non Spiritus Sancti munere, divinæque auxilio gratiæ, ſed humanæ ſapientiæ placitis ſuave efficiat, & deliciis, illecebris, ludis, atque ſpectaculis hujus mundi condiat. Sapiens Jeſuita P. Tyrſus Gonzalez de opinione minus probabili, ac benigna verba faciens *diſſer.* 14. *c.* 5. *n.* 38. „ Non eſt, inquit, „ opinio benigna, ſed maligna, ut pote, quæ partes concupiſcentiæ fovet „ contra præceptum. „ Quam benignitatem primus, aut inter primos Probabiliſino adſcripſit P. Antonius Terillus *tract. de Conſcien. probab. quæſt.* 22. *n.* 1. „ Opus eſt, ut ſententiam noſtram, quam *benignam impoſterum* „ appellabo, ſicut oppoſitam, quia nimis auſtera eſt, vocabo *rigidam*, „ clarius explicem. „ Nimirum ante hoc Terillianum Opus, ac tempus eo charitas progreſſa non erat, ut hunc benignitatis tam malignæ, tamque morum corruptricis exitum inveniret. Sed in animo non eſt de hoc exitu dicere, atque rem ſatis confutatam ab Antiprobabiliſtis iterum confutare. Ludat, adlaboret, blandiatur, ſeſeque ſpecioſis nominibus muniat, callidus quiſque Probabiliſta: ego nomenclaturas nec amo, nec timeo, modo ſive rigor, ſive benignitas a veritate proficiſcatur charitatis. Hæc ſi ſeparetur, neque vera benignitas ſibi conſtabit, neque juſtus rigor: „ *Eo quod* inquit 2. *ad Theſſ.* 2, 10. *charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Linquamus hæc: De eo nunc charitatis exitu dicendum eſt, quem Gravinianus Probabiliſta ſibi propoſuit, ut juſtam reprehendendi cauſam aſſimularet. At quibus auctoribus? Si ex me quæris, hoc ajo, Conſiliariis electiſſimis, quorum verba placentia facile fuit non repugnanti, imo vero perquirenti, ac exoptanti arridere. Hi ergo Conſiliarii (a) Graviniano Probabiliſtæ fidem fecerunt propugnandæ injuriæ ſibi ab *Antiprobabiliſmi Vindicati* ſcriptore illatæ. Primum quia Chriſoſtomus ait, oportere pravas opiniones ſtatim ab initio exſcindere. Deinde quia Gregorius ait, ſi de veritate ſcandalum ſumitur, utilius naſci permittitur ſcandalum, quam quod veritas relinquatur. Tertio quia D. Thomas oſtendit, jure eos reprehendi, qui Religioſorum famam corrumpere in multis nituntur. Præterea quia

(a) *In Præf. Apol. n.* XII. *& ſeqq.*

quia jura clamant: Error cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas cum minime defenſatur, opprimitur. Et rurſus, ut zelum Antiprobabiliſticum oohibeant, Baſilium in ſcenam proferunt, neceſſitatem cauſæ defendendæ extollunt, ut diſcamus trabem ex oculis noſtris ejicere, & ita demum feſtucas alienas extrahere. Alioquin fieri non poſſe, ut in tanta animarum pernicie ſileatur. Summatim non tam verba, quàm ſenſa deſcripſimus judicio, arbitrioque noſtro. His namque ſuaſionibus ductus magnus Opinator Gravinianus cauſam firmam, hoc eſt, probabiliter probabilem ſe nactum eſſe putavit. Nihil moratus eſt amplius: non expendit, hæc ne loca communia ſint tum ſibi tum nobis? Non ſe ipſum ante identidem, & ſæpius interrogavit, cauſæ ne ſuæ, an alienæ aptentur? ſit ne in opinione minus probabili, quam tuetur, illa charitatis veritas, pro qua vindicanda, ac defendenda tot teſtimoniorum, & auctoritatum argumenta uſurpari jure poſſunt? Quid rationis ipſe tulerit cum in Antiprobabiliſtas, & Antiprobabiliſmum animadvertere decrevit? Quæ certe omnia Gravinianum noſtrum ſuis ponderibus examinare, & ſerio diſquirere ante oportebat. Nam ſi id argumenti in manus haberet, ut opinio probabilior charitatis bonum perdat, enecetque, Noſque docere contenderet opinionem minus probabilem attingere veritatem charitatis, regnumque cupiditatis deſtruere: aliquid tum diceret, quod jus ſibi diſputandi, noſtroſque errores coercendi offerret. Præterea ſi ex Evangelio Chriſti duas directe contrarias vias probaret; quibus aditus in cœlum haberemus, alteram anguſtam, & artam, latiorem alteram, & ſpatioſam, eſſet cauſa, cur Gravinianus Probabiliſta illa Patrum, & D. Thomæ loca ſuam in rem facere putaret. Eſt autem una, & ſola anguſta nobis via a Chriſto Domino propoſita, una item fides, & charitas, una quoque eademque conſtans morum, & diſciplinæ honeſtas.

Quamobrem illa loca, illa argumenta, & auctoritates Patrum, quibus abuti contra nos poſſe imprudenter exiſtimavit, non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant. Patres enim Theologo arma reprehenſionis ſuppeditant non carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, ut poſſit exhortari in doctrina ſana; & eos qui contradicunt arguere. Atque hæc arma noſtra ſunt, cum ſanam doctrinam ab injuriis Probabiliſmi vindicamus. Fremit Gravinianus Probabiliſta, dolet quod non benigne, non placide reprehendimus: ac quandam veluti trabem habens in oculo, arbitratur nos tanquam ſecundum carnem ambulemus. Sed hoc intelligat, *In carne ambulantes non ſecundum carnem militamus*. 2, *ad Cor*. 10. Et quod non ſecundum carnem militemus, probat noſtra doctrina, quæ non loquitur hominibus placentia, non quærit, quæ ſunt, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Oſtendat Gravinianus objurgator, Antiprobabiliſmi doctrinam noſtram a charitatis veritate aberrare; tum faſces ei ſubmittemus: juſtamque fuiſſe cauſam dabimus, cur tribus integris voluminibus ſui Apologetici vapulemus. Dum nihil ejuſmodi efficere poteſt, noſtras patiatur objurgationes, atque ad tria Confectaria ſuſtinenda ſe comparet. §. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Consectarium I.

Ergo zelus quo Probabiliſmus conſulere ſe ſaluti, & paci animarum credit, eſt zelus Dei, ſed non ſecundum ſcientiam.

„ Quia ſcilicet, inquit D. Thomas *in cap.* 10. *ad Rom. lect.* 1. „ eorum zelus per rectam ſcientiam non ordinatur, dum ignorant veri- „ tatem *Eſa.* 5. *Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia* „ *non habuit ſcientiam* 2. Cor. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. „ Mentem, & voluntatem facile probo; Eo nimirum Probabiliſtas pleroſque intendere, ut ſaluti proſint, & paci conſcientiarum. Verum id non eſt ſatis. Eſto namque caritas maneat in intentione, tamen niſi veritas adſit in electione, oculus nequam erit, ſimplex non erit. Quenam verò modo veritas in electione conſtat, ſi id, quod ad veritatem minus, non quod magis accedit, charitati accommodatur? numquid ex fide? „ Prorſus ex fide, ait Bernardus *de Praec. & diſp.* 14. *n.* 41. „ ſed falſa, vel certe potius non ex fide, quia fides falſa „ fides non eſt. Denique de fide vera, non falſa puto dixiſſe Apoſtolum. „ Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Non autem ex fide vera bonum „ creditur, quod malum eſt: eſt enim falſum. Peccatum igitur eſt. „ Hæc Bernardus. Quæ ſi ſemoto partium ſtudio, atque animi affectu, cogitarent, & animadverterent Probabiliſtæ, ſtatim de ſuo zelo ſemetipſos monerent, hunc zelum Dei, quem habent non eſſe ſecundum ſcientiam. Una eſt fides, una quoque eſt veritas charitatis in electione. Nec ſuffragari paci animarum poteſt duplex illa electio, ſive id quod minus, ſive id quod magis probabile teneatur. In officiis namque neceſſariis verſamur, non in iis, quæ ſunt de conſilio. Scite Pater Concina *tom.* 2. *Appar. ad Theolog. lib.* 2. *diſſer.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. Quo auctore, hoc libentius utor, quod futurum ſpero, ut Gravinianus Probabiliſta hujus auctoris graviſſimis, & probatiſſimis ſententiis aſſueſcens, quem laudare non dum didicit, incipiat ſaltem aliquando legere. Non enim uno loco Probabiliſtæ, ſed ubique gentium, & contra Antiprobabiliſtas omnes ſuam amaritudinem exerunt. Quid? etiam ne contra Patrem Concina zelum habent? Ita ſane: at non ſecundum ſcientiam. Sed hic Auctor ſic monet: „ Via probabiliſtica contendit, ut fideles „ doceat, quo pacto valeant abſque peccato mundo placere concupiſcen- „ tiæ voluptatibus vacare, theatris, comœdiis, & promiſcuis converſatio- „ nibus intereſſe. Eo ſpectat, ut fidelibus arcanam quandam vivendi me- „ thodum pandat: ut eos dirigat, qua ratione poſſint duobus ſervire do- „ minis, unoque pede in cœlum aſcendere, alteroque per terram ambulare: „ ut eos inſtruat, quo modo poſſint divitiis augendis, dignitatibus, hono- „ ribuſque aſſequendis tuta conſcientia incumbere, quomodo poſſint men- „ tiri, occidere, lucrari ex mutuo, pompoſas inducere veſtes, quin mortali-

 „ ter

,, ter peccent; quomodo poſſint ſe legibus Eccleſiæ ſubducere,quin peccent.
,, Hæc & ſimilia via probabiliſtica docet ſuos aſſeclas. Porro quam ſit hæc
,, via adverſa, & oppoſita Evangelicæ viæ, quam nobis aperuit Chriſtus
,, nemo non videt. Nam via Chriſti via eſt veritatis, & vitæ. Lex Dei,
,, lex Evangelica non ſolum præcipit declinare a malo, ſed etiam facere
,, bonum. Lex Evangelica non ſolum non eſt lex vitiorum, ſed eſt lex
,, virtutum. Vi iſtius legis amoris homo, vel eſſe, vel aſpirare ad ſtatum
,, gratiæ aſtringitur. Ergo recedendum eſt a via probabiliſtica, quæ in
,, hominum opinione pedes figit, quæque in ſola quadam verſuta mali fuga
,, tota occupatur; quæ tandem docet vivendum, aut ſecundum, aut con-
,, tra ſanctam Dei legem. Si enim opinio probabilis ſit falſa, eſt contra
,, legem Dei; ſi vera juxta Dei legem. Sed via probabiliſtica utras opinio-
,, nes tibi ſectandas proponit. Ergo æque te inſtruit contra, ac ſecundum
,, divinam legem. ,,

Audiſtin' mi Probabiliſta. Zelus ergo tuus cum utramque mihi opinionem ſive minus, ſive magis *probabilem* licere doces, eo pertinet, ut honeſte, & ex charitate poſſim tam ſecundum, quam contra legem Dei vivere, ut poſſim duobus dominis ſervire, ut poſſim charitati adjungere cupiditatem. Video quid rationis habeas: homines inquis ruunt in pejus, ſacramenta deſerunt, pavent a terrore, quem incutimus, & quod ſummum eſt, addendo peccata id contra ſanguinem Salvatoris efficimus, ut pauciores ſalventur: Zelus hic tuus eſt. At non ſecundum ſcientiam. Non enim idcirco ſalvantur homines, quia ita vel ita opinamur, ſed quia ſeparant ſe a regno cupiditatis, & viam ingrediuntur mortificationis, & charitatis. Quæ enim conjunctio veritatis cum falſitate? ,, Quæ participatio juſtitiæ
,, cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio
,, Chriſti ad Belial 2, *ad Cor.* 6,14.& 15.

Atque utinam hæc Apoſtoli doctrina noſtri ſeculi hominibus non eſſet neceſſaria. Sed videmus eſſe multos, quibus nulla Scripturæ ſanctæ, nulla Patrum notitia affulget,precatiunculis,& meditatiunculis,non enim contemplationes dicam, die, nocteque vacantes mentiuntur ſe zelum Dei habere; nec illud expendunt, utrum *ſecundum ſcientiam*. Libros aſceticos evolvunt, ſuſpiria, deſideria non nulla interdum emittunt. At in hoc ſcimus, quod Deum præ oculis non habent: quod mandata ejus ignorant, quod ea, quæ præcepta Dei ſunt, conſilia putant, & perfectionem ſanctitatis, non viam neceſſariam reputant.Quo fit ut,dum propriam aut alienam conſcientiam dirigunt, in iis, quæ ſcire & tenentur, & poſſunt, non eos adeant Theologos, quos doctiores, & ſanioris doctrinæ peritos norunt, ſed his relictis ſpirituales Caſuiſtas neſcio quos homines conſulunt, qui blandiri deſideriis ſuis conſueverunt. Rari autem illi ſunt, qui, quod Apoſtolus ait *ad Hebr.* 5,14. exercitatos habeant ſenſus ad diſcretionem boni, & mali. Sed hoc alias. nam de zelo Probabiliſtico hæc dicta ſint.

§.VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Conſectarium II.

Si Antiprobabiliſmus fatente Graviniano Probabiliſta nihil habet, quod fidei, ac bonis moribus adverſetur: Ergo per ſummam injuriam contra Perſonam Antiprobabiliſtarum Janſeniſmi, & Rigoriſmi nota inuritur.

PLanum eſt arborem malam malos fructus facere *Matth.* 7, 17. Si ergo Janſeniſmus, & Rigoriſmus peperiſsent Antiprobabiliſmum, hic certe, & fidei, & bonis moribus detrimento eſſet. O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facile ſe ipſam defendit? Equidem hæc tota Janſeniſmi, & Rigoriſmi injuria, quàm eſt ſine argumento? Quàm nullam poteſt juſtam invenire cauſam? Quid enim eſt Janſeniſmus, quid Rigoriſmus? aut hæc nomina in qua re ponimus? ſcilicet Rigoriſmus doctrinam in genere morum æquo ſeveriorem expreſse, vel oblique a Sede Apoſtolica proſcriptam tuetur, ac propugnat. Janſeniſmus etiam quinque propoſitiones damnatas ab Eccleſia defendit, aut has quinque propoſitiones ita damnatas negat in libro Janſenii reperiri, & ſimiliter negat in ſenſu obvio, quem obtinent in libro Janſenii, damnatas eſſe. Quemadmodum ergo Janſeniſta eſt, qui aliquam ex illis quinque damnatam propoſitionem tuetur, ſic Rigoriſta eſt, qui propoſitionem proſcriptam, aſſerit, & propugnat.

Utranque notionem ſpecie tenus diſſimulare videtur Gravinianus Probabiliſta, re tamen ipſa, & reprehenſionibus, quibus Probabilioriſmum, & Probabilioriſtas exagitat, eripere nobis, atque fallere conatur. Primum enim ad ſtatuendam notionem Rigoriſmi *Primo par. Apologetici concl.* XII. *dial.* IX. „ Rigoriſmus, inquit, in eo verſatur, ut doceat: uſum opinionis legi dubiæ ſuffragantis, eſſe præceptum, ut ut deſtituta ea ſit valida ratione, ponderoſo Patrocinio; quo ſane dogmate demonſtratur: totam Rigoriſmi Probabilitatem ſitam eſſe in temere obliganda arbitrii noſtri libertate novis in diem vinculis. „ Captioſa verba, fallaciæ, & ambiguitatis plena. Si lex eſt dubia: quonam pacto dici, aut cogitari poteſt deſtituta validis in utramque partem rationibus. Dubium namque æquis ponderibus libratur. Aliud eſt dubium, aliud opinio. Quærit Divus Thomas 22. *q.* 60. *ar.* 4. utrum dubia ſint in meliorem partem interpretanda: Hæc quæſtio non de opinione, ſed de dubio inſtituitur. Diſcrimen dubii ab opinione luculenter tradit: *q.* 14. *de verit. ar.* 1. ubi ait: Sic igitur „ intellectus noſter poſſibilis reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in illis problematibus de

„ qui-

„ quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eo-
„ rum, quæ movent ad utramque partem; Et iſta eſt dubitantis diſpoſitio,
„ qui fluctuat inter duas partes contradictorias. Quandoque vero intelle-
„ ctus inclinatur magis ad unum, quam ad alterum &c. Et hæc eſt diſpo-
„ ſitio opinantis &c.

Hoc diſcrimen opinionem inter, & dubium ignoraſſe Gravinianum Probabiliſtam mihi non ſit credibile. Quare dum legem dubiam fingit valida ratione in utramque partem contradictionis deſtitutam, dubium ex dubio tollit, ſeſeque aut ignarum, aut ambigua de induſtria captantem prodit. Vis audire quam in rem? Prompta eſt & aperta contentio. Nimirum, ut Natali Alex. nigrum Rigoriſmi Theta affingat (*a*). Niſi mens læva ſit, quiſquis Natalis Alexandri *Regulam* integram, vel curſim legerit, ſtatim ab initio ſermonis eum, aſſequitur, id velle, nefas eſſe, & illicitum præferre minus probabilem opinionem relicta probabiliori. Sic enim orditur: (*b*)
„ Colligitur hæc Regula ex Scripturis ſacris, & primo quidem ex præce-
„ pto charitatis ex quo tota lex pendet, & Prophetæ: Diliges Dominum
„ Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus tuis. At-
„ qui non diligitur Deus ex toto corde, cum eligitur opinio minus probabi-
„ lis favens libertati contra legem, relicta probabiliori. Quis enim ſince-
„ rus amicus habeatur, qui ut ſuo commodo indulgeat, nullatenus ea cu-
„ rat agere, ex quibus amicum ſuum probabiliter offenſum iri prævidet?
„ Repugnat igitur legi charitatis vagus probabilitatis uſus. „ Longum eſt totam illam Regulam exſcribere, quam Rigoriſmi nota labefactare contendit Gravinianus Probabiliſta. Si ingenue, ac de ſuo ſenſu, non ambiguis, & fallaciis diſputare voluiſſet, loco illius orationis, qua Natalem Alex. aggreditur: *Quæ cum ita ſint, nemo non videt Rigoriſmum P. Natalis Alexandri &c.* Sic aperte diceret: Nemo non videt Rigoriſmum Probabilioriſmi, qui docet nefas eſſe, & illicitum eligere opinionem minus probabilem faventem libertati contra legem, relicta probabiliori, quæ legi conſona eſt. Bonam mentem Probabiliſtæ precamur. Sed lector vel ab ungue diſcat leonem.

Quid nunc de Janſeniſmi trita calumnia diſputem? Vetus nænia eſt non Probabiliſtarum modo, ſed Molinianorum artificio jam pridem audita, & omnium ſibilis exploſa. Nos vero Benedictus XIII. Pont. Max. in Conſt. *Demiſſas preces*: Die 6. Novembris 1724. monitos, ac etiam confirmatos voluit: „ Magno igitur animo contemnite, dilecti filii, calumnias inten-
„ tatas *ſententiis veſtris de Gratia præſertim* per ſe, & ab intrinſeco efficaci, &c. Contemnendæ ergo nobis, totique Thomiſticæ ſcholæ ſunt calum-
niæ

(*a*) *In cit. p. p. Apol. Concl.* x11. *Dial.* 9. & *in* 3. *p. Apol. n.* 531. & *ſeq. Ubi rigoriſmi notam inurit apertè.*

(*b*) Nat, Alex, *in Theol, Dogm, mor. lib.* 3. *de Peccatis c.* 4. *ar, un, reg.* 13.

Digitized by Google

niæ intentatæ. Etiamne illæ, quæ ſunt a Probabiliſtis? Sane etiam. Nam Papa ait, *ſententiis veſtris de Gratia præſertim*. Non ergo excepit, quos minime ignorabat adverſarios, Probabiliſtas. Utcumque igitur Probabiliſta Gravinianus *in prima parte Dial.* 35. *ſuæ Concl. XLIX. & L. & alibi paſſim* de more quidem ſuo in crimen Janſeniſmi nos vocet, infletque ſuas tibias, lyram, & citharam pulſet, nihil opus eſt, ut cera obturentur aures; nec vocum ſuavitas, nec varietas diſputandi tanta eſt, ut lectorem quaſi prætereuntem nautam ſirenum cantu irretitem teneat; nuget, ut vult. Libera ego aure hæc prætranſibo, illud potius reponam, quod P. Concina, quam veriſſime enarrat *tom.* 2. *Appar. ad Theol. Chriſt. lib.* 3. *de Probabiliſmo diſſer.* 1. *c.* 3. *n.* 12.

„ Primi, qui odioſam *Rigoriſmi*, & *Janſeniſmi* larvam affingere do-
„ ctrinæ Evangelicæ auſi ſunt, Caramuel, & Terillus fuerunt. Duo hæc
„ Probabiliſtarum capita prima inferiores Caſuiſtæ, ut duces ſecuti ſunt.
„ Multi inquit Elizalde, tunc *caramuelizabant*, ut exprimerent obſequium
„ vulgarium Probabiliſtarum erga Caramuelem. Verum tantæ impoſturæ
„ potiſſimus artifex Terillus fuit, qui teſte P. la Croix, hæc ſcribit in præfat.
„ ad Regul. mor. *Janſeniſmum eſſe matrem ſententiæ Probabilioris. Sic*
„ *enim non poterat habere melius medium perſuadendi; aliqua Dei præcepta*
„ *eſſe ſecundum præſentes vires obſervatu impoſſibilia. Item hoc erat aptiſ-*
„ *ſimum medium Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ red-*
„ *dendi magis otioſa*. Sed ut evidentius appareat, quam fuerit Terillus
„ Probabiliſmi ſtrenuus propugnator, unaque feſtivus, & lepidus cenſor,
„ quæſo contemplare certamen, quod aggreditur. Provocat Antiprobabi-
„ liſtas omnes, ut vel unum Theologum deſignent, qui ante ortum Janſeniſ-
„ mum probabiliorem docuerit ſententiam, quam vocat rigidam. Quare, ut
„ ſupremus Eccleſiæ dictator, jubet faſces ſubmitti Probabiliſmo, ceu
„ Eccleſiæ doctrinæ. „ Et quæ ſunt cætera.

Quam ad amuſſim hæc Terilliana commenta Perſonatus Auctor Graviniani Apologetici adoptaverit, facile *ex p. par. concl.* 24. *& ſeqq. Dialogis*, Et *ex* 2. *par. cap.* 4. *n.* 410. *pag.* 341. *& ſeqq.* lector intelliget. In eo tamen a Terillo ſuo ſe ſeparat, quod P. Terillus Janſeniſmum eſſe docet matrem ſententiæ probabilioris, hic Gravinianus illum docet matrem eſſe Antiprobabiliſmi; Ludit verbis, fallit argutiis, ſeu potius ambiguis, ut Probabiliſtæ amant. Solers Dialecticus ſi propoſitiones exponibiles conſuluiſſet, tametſi Dialecticorum nos exercere ſubtilitatibus cupiat, animadvertiſſet primum illud præceptum, quod eſt S. Thomæ 3. *p. q.* 16. *a.* 1. *c.* „ No-
„ men ſignificans naturam communem in concreto, poſſe ſupponere pro quo-
„ libet contentorum ſub natura communi, ſicut hoc nomen homo poteſt
„ ſupponere pro quolibet ſingulari. „ Quo circa Antiprobabiliſmus, ut ſit quid commune *Probabilioriſmo*, & *Tutioriſmo*, nihil prohibet, quin a loci, perſonarum, temporum, & id genus aliorum circumſtantiis trahatur,

ut

ut ſignificet Probabilioriſmum a P. Terillo expreſſe notatum.

Deinde ejuſdem S.Thomæ aliud præceptum eſt *ar. 3. c.* „ quod in pro„ poſitione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non ſolum attenditur, quid „ ſit illud de quo prædicatur prædicatum, ſed etiam ſecundum quid de illo „ prædicetur, „ Quamvis ergo Antiprobabiliſmus grammatice acceptus latius pateat, tamen ut contra Probabiliſmum pugnat, attendendum eſt *ſecundum quid* pugnet, nimirum quatenus docet id, quod proximius vero apparet, deliberari oportere, ac præponi alteri contrariæ parti, quæ remotior eſt a vero, & minus probabilis. Quid? quod ſi verbi conſuetudinem teneret, numquam in has ſophiſticas latebras incidiſſet? Nunc vide Graviniane Dialectice quid agas? ſcilicet tu definire, tu dividere, tu argute verba interpretari ſapienter didiciſti: nos barones ſtupemus: Verba tu fingas, & ea dicas, quæ ut veſtitum ſic ſententiam habeant; aliam domeſticam, aliam forenſem, ut in fronte oſtentatio ſit, intus veritas occultetur. Vide quæſo an a tuo Terillo diſcedas? Nam Janſenianæ contra nos criminationis auctoribus patefactis, relinquitur non mihi tecum, aut cum P. Terillo, & Caramuele, ſed Antiprobabibiliſmo cum Probabiliſmo certatio.

§. IX.

Superioris Conſectarii explicatio, qua Antiprobabiliſmus inducitur reprehendens Probabiliſmum novitatis, & laxiſmi: quin etiam propenſionis ad Janſeniſmum.

ANtiprobabiliſmus enim quærit prius a Probabiliſmo, utrum ſevere ſecum, & rigide, eo rigoriſmo, quo ipſum Gravinianus Probabiliſta ornavit, agi malit, an leniter, & benigne, non ea quidem benignitate, quam ſibi adoptavit Probabiliſmus, ſed illa qua fit, ut cum modeſtia corripiantur ii, *qui reſiſtunt veritati* (1, *ad Tim.* 2, 25.) *ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem*. Si illo auſtero modo, ac more, non aliquis mihi BlaſiusPaſchalis ſub ementito Montaltii nomine excitandus e cœno Janſeniſtarum eſt, non Wendrochius, aut is, qui *Tubam magnam, mirum clangentem ſonum ad SS. D. Papam Clem. XI.* . . . . ceteraſque Poteſtates inſcripſit: Neque ille quoque mihi arceſſendus qui *Artes edidit,* . . . *in ſuſtinendis pertinaciter novitatibus laxatibuſque ſociorum*, quorum ſeveritas cum ſuis libris juſtam meruit cenſuram, ac publica Eccleſiæ auctoritate proſcripta eſt. Hac ego ſeveritate non utor; non enim id genus ſum Antiprobabiliſmus, qui Janſenianum, ſed Evangelicum dumtaxat rigorem commendo, ac ſector. Eum ego è domicilio ipſo veſtro excitabo, qui eſt magni hominis, ac facile princeps *reflexi Probabiliſmi* auctor.

Audi quæſo iſtum Patrem Terillum auſtero modo, ac more tecum pro me agentem *in Prolog. ad tract. de Conſcien.* „ Cum probabili-

„ ta-

Digitized by Google

„ tatem opinionum moralium, quæ non ita pridem ab omnibus pro ſecura „ conſcientiæ regula habita fuerat *a paucis annis mutatione plane repentina* „ non ſolum in dubium vocatam, ſed plurium cenſuris, ut morum, & o- „ mnis honeſtatis venenum, atque ut errorem periculi, imo certi exitii „ plenum *damnatam* fuiſſe animadvertiſſem; cœpi tantæ, tamque inexpe- „ ctatæ mutationis originem attentius inveſtigare; eamque tandem (ſi „ Janſeniſtarum conſilia demas) aliam non fuiſſe, quam nimiam aliquorum „ Theologorum, ac Caſuiſtarum in opinando *laxitatem* clare perſpexi. „

Siſte tantiſper Graviniane Probabiliſta: (jam enim ipſe tecum nulla perſona introducta loquar) Doce me nunc, quemadmodum hoc teſtimonium Terillianum cum illa tua mirifica, animoſaque aſſeveratione conveniat. *In Apol. p. p. Concl.* 52. *Probabiliſmus germaniſſimus degenerare minime poteſt in laxiſmum*. Is Probabiliſmus a Terillo proditur, qui non ita pridem ſuis temporibus nimirum ante annum 1660. *pro ſecura conſcientiæ regula* habitus fuerat. Idem Probabiliſmus a P. Terillo quoque denuntiatur plurium cenſuris, ut morum, & omnis honeſtatis venenum, atque ut errorem periculi, imo certi exitii plenum damnatum fuiſſe. Cauſam denique nullam aliam extitiſſe niſi nimiam laxitatem in opinando. Factum negare non potes. Illa igitur ſecura tua conſcientiæ regula, ille probabiliſmus, qui olim ab omnibus, ut Terillus ait, recipiebatur, jam concidiſſe, jam degeneraſſe vides. Cur igitur Probabiliſmus tam fidenter a te modo aſſeritur degenerare in laxiſmum minime poſſe.

An vero illud referes: incomitatum, indotatum, & incomptum fuiſſe Terillianum hunc Probabiliſmum. Inſto urgeo, & quocumque te verteris Terillum oppono. Probabiliſmus namque ille rationes ſolidas, id eſt, probabiliſticas prætexebat. Qua namque ſtatera, quibuſve ponderibus nunc Probabiliſtæ ſuam appendunt, & examinant ſoliditatem, iiſdem priſci illi ſoliditatem æſtimabant. „ Verum (inquit Terillus) ne propter apertam ab „ unanimi antiquorum opinione defectionem, temeritatis arguerentur, cœ- „ perunt rationes aliquas excogitare, quibus & ſuum a majorum doctrina re- „ ceſſum honeſtarent, & apud imperitum vulgus de ſuæ ſententiæ veritate „ plauſum aliquem obtinerent. „ Certe hæ rationes, etſi P. Terillo leves fuiſſe videntur; tamen Probabiliſtæ id ætatis, ut graves, & ſolidas præfracte nimis, atque ejuſmodi, ut plauſum obtinere poſſent, tuebantur. Non ſecus ac noſtra ætate nonnulli Probabiliſtæ ſoliditatem ſe tenere obſtinatione quadam ſententiæ confirmant; tametſi Probabilioriſtæ ſplendide oſtendant, minus probabile in conſpectu probabilioris, neque probabilitatem, neque ſoliditatem retinere. Quid? quod opinio quævis ſit minus probabilis, ſit probabilior, nullas ſolidas habere rationes debet, aut poteſt? nam propoſitio immediata ex qua colligitur, ut Ariſtoteles tradit *lib.* 1. *Poſt. apud D. Thomam lect.* 44. *lit. c.* non eſt neceſſaria, ſed contingens, & aliter ſe poteſt habere, Sed hoc alias.

Nunc

Digitized by Google

Nunc ex Graviniano Probabiliſta, cujus firmitatis ſit iſta probabiliſtica ſoliditas, facili negotio diſces. Nam *in Apolog. par. p. n. 36. pag. 73.* ſcribit: „ Senza impegnarmi a ſciogliere gli argomenti in contrario „ poſſo dire Probabile una opinione, o per fede dirò così, o per ſcienza. „ Per fede credendo in ciò ad alcun uomo di credito: per ſcienza eſami- „ nando che quegli argomenti, non ſono di facile ſoluzione: ſiccome gli „ argomenti a favore neppur ſono di facile impugnazione. „ O egregius ſolidæ rationis Præceptor! Sint iſtæ, ut vis, ſolidæ rationes, quas quiſque ſive per fidem, ſive per ſcientiam (nam ſcientiæ nomen in re probabili ultro tibi largimur) ſibi comparat, quatenus noverit argumenta contraria facile diſſolvi non poſſe, propria verò nec facile ab Adverſariis poſſe impugnari. An putas priſcos illos Probabiliſtas hanc perſuaſionem minime de ſuis rationibus habuiſſe? Habuerunt ſane, atque tam audacter habuerunt, ut & *ſuum* quod ait P. Terillus, *a majorum doctrina receſſum honeſtarent, & apud imperitum vulgus de ſuæ ſententiæ veritate plauſum aliquem obtinerent*. Sed de prima dote hactenus. Etiam reliquis duabus dotibus Probabiliſtæ illi, quos contra pugnat Terillus, quàm ſplendide ſuas opiniones ornabant. Pergit namque & teſtificatur eodem loci P. Terillus, eos claſſicis auctoribus uſos, eaſque opiniones ab Eccleſia expreſſe tum non fuiſſe damnatas. Ejus verba hæc ſunt. „ Cum enim apud Auctores jam in ore vulgi „ ob ſuam laxitatem celebres, *reſolutionum aliquam* inveniſſent, illico eam „ pro vere probabili habuerunt. Legerant enim apud graviſſimos Scrip- „ tores *unius Doctoris auctoritatem* ad probabilitatem ſuis dictis aſſeren- „ dam ſufficere. Porro probabilitatem ad conſcientiæ tranquillitatem ſuffi- „ cere, & rationibus efficaciſſimis ducti, & unanimi graviſſimorum Theo- „ logorum auctoritate edocti nullatenus dubitabant. Unde factum eſt, ut „ quaſcumque opiniones ab Eccleſia expreſſe non condemnatas, apud „ quemcumque reperiſſent, eas pro vere probabilibus, & ipſi haberent, „ & aliis pro regula ad conſcientiæ tranquillitatem opportuna trade- „ rent.

Operæ pretium eſt larvati ſub aſcitio Patris Gravinæ nomine Probabiliſtæ ſtudia cognoſcere. Ut primum enim claſſicos inauguravit Auctores, qui probabilem opinionem tegant: confeſtim ſe in unius, aut alterius Doctoris auctoritatem, ſeu potius anguſtiam compellit *Apolog. p. p. Dialog. 3. concl. 3. pag. 60.* „ Poteſt (inquit) unus, aut alter auctor tanti valere „ apud Æquos rerum æſtimatores, ut inſtar multorum, vel ſolus opinio- „ nem reddat extrinſecus probabilem. „ Deinde ut Aſtronomi ſtellas primæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ magnitudinis: ſic Probabiliſta noſter claſſicos auctores primæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ graduationis partitur. (*Ibid. n. 30. p. 82.*) Mox *n. 51.* non nævo aliquo, aut crepundiis, ſed corpore omni ſe noſcendum præbet. „ Baſta pertanto, che da un intera „ ſcuola, come ſarebbe di Tomiſti, di Scotiſti, di Sorboniſti antichi &c,

„ abbiaſi quello autore in pregio di autor claſſico, perchè queſto tale per „ claſſico da noi ſi adoperi. „ Refer pedem, ſis ad epiſtolam, quam Gravinianus ſcribit ad Eminentiſſimum Principem Jo: Franciſcum Albani Mecœnatem *Apologetico* ipſi præfixam, invenies pag. VI. inter cæteros, quos extollit Auctores, quorum præceptis ſuum Probabiliſmum moderatur, P. Tamburinum, P. la Croix, P. Sanchez. Nonne unus, aut alter iſtorum claſſicus habendus eſt Auctor? Ita quidem: nam ſchola Probabiliſtica hos maxime ſuſpicit, & tantùm non ut Doctores Eccleſiæ veneratur. Audi quàm altè de tantis viris ſentiat eodem loci: „ La diſeſi (Concluſiones nempe de uſu, & abuſu opinionis probabibilis, quas in prima parte Apologetici addictis Dialogis confirmat,) „ con tutte quelle reſtrizioni, e cau- „ tele, che vi anno appoſte i migliori noſtri Scrittori, voglio dire i Sua- „ rez, i Tamburini, i Sanchez, i Laiman, i la Croix, ed altri ſimili, che „ ſaranno ſempre gran nomi nella morale Teologia. „ Quorſum hæc? ut intelligas Tamburinum, La-Croix in claſſicorum auctorum collegium eſſe cooptandos; ut eorum unus, aut alter *inſtar multorum opinionem reddat extrinſecus probabilem*. Quæ eorum Probabiliſtarum erat vana contentio, quam P. Terillus totis lacertis, viribuſque coercendam aggrediebatur.

Non dum de tertia dote Graviniana dico, Immunitate videlicet univerſali, quam Gravinianus idem, larvatuſque Probabiliſta, docet tunc violari, cum probabilis opinio adverſatur certo alicui principio, conventioni, legi, vel cenſuræ publicæ. Quærit etiam, quam certitudinem obtinere principium illud, lex, ſeu cenſura debeat? Et nihil verens animosè reſpondet *in Dialogo eodem 3. num. 37. in f. pag. 75.* „ Certamente a diſegno vi ho „ poſto l'una, e l'altra certezza; (ſubjectivam nempe, & objectivam) on- „ de ſe dubbiamente ſiavi la detta oppoſizione, o l'oppoſizione ſia certa, „ mà quel tal principio, con cui vi è tal oppoſizione, ſia dubbioſo; allora „ potrà eſſere l'opinione probabile, ſe abbia il reſto de' pregi; cioè probabi- „ lità intrinſeca, e probabilità eſtrinſeca. „ Et quæ addit cætera.

Recole illa, quæ in poſtremis a P. Terillo paulò antè deſcripſimus: „ Unde, inquit, factum eſt, ut quaſcumque opiniones ab Eccleſia expreſ- „ ſe non condemnatas, apud quemcumque reperiſſent, eas pro verè proba- „ bilibus, & ipſi haberent, & aliis pro regula ad conſcientiæ tranquillita- „ tem opportuna traderent. „ Hæc Terillus. Eandem regulam præſcribunt iſta Graviniana. „ Allora potrà eſſere l'opinione probabile, ſe abbia il „ reſto de' pregi, cioè probabilità intrinſeca, e probabilità eſtrinſeca.

Vide, candide lector, quam aptè omnes utriuſque voces, Terillianæ, & Gravinianæ, ut nervi in fidibus, ſonent, ac paria paribus reſpondeant. Ex quo intelligere quivis poteſt, Probabiliſmum hujus ætatis, quem velut ſacramento rogatus Probabiliſta noſter Gravinianus adoptavit, illum ipſum eſſe, de quo P. Terillus verba faciens teſtatus eſt, novitatis eſſe plenum, *a paucis* inquit *annis*, ideſt, ut deinceps explicat 30. annis ante 1660; de quo

Digitized by Google

item teſtatus eſt, in laxiſmum fuiſſe prolapſum. Sed facio imprudenter. Nam elatus ſtudio conferendi Graviniana cum Terillianis, fortaſſe longior fuerim. Ad Antiprobabiliſmum revertor, qui auſtera Terilli voce, qua paulò antè uti cœperat, novitatis, & laxiſmi probra in Probabiliſmum conjecit, ac plurimorum cenſuris, ut morum, & omnis honeſtatis venenum, utque errorem periculi, imo certi exitii plenum damnavit.

Sed hic Antiprobabiliſmus adhuc progreditur, ſic agit cum Probabiliſmo: Utrum Terillianum hoc Tribunal declinare audes? quid taces? urgebo, ſi obſiſtis. Nonne Probabiliſtæ tui *levioribus ratiunculis ducti* (verbis utor P. Terilli) *antiquorum Theologorum opinandi ſeveritatem non modo clam carpere, ſed palam auſi ſunt ſuis ſcriptis condemnare?* Nonne quod *doctiores, ac ſeveriores Theologi unanimi ſententia damnant ut malum*, Tu *auſu temerario pro bono, & honeſto venditare non erubeſcis?* Nonne ex tuis ſunt, *qui laudi ſibi vertunt laxiores ſententias in unum colligere, eaſque tanquam legitimas conſcientiæ regulas ſub ſpecioſo probabilitatis tegmine venditare?* Id quidem eas ob cauſas: quia legunt, ut ait Terillus, unius Doctoris auctoritatem ſufficere ad probabilitatem ſuis dictis aſſerendam; quia putant fas eſſe quaſcumque opiniones expreſsè ab Eccleſia non condemnatas pro verè probabilibus habere, & aliis pro regula ad conſcientiæ tranquillitatem opportuna tradere. „ Hæc ſunt, ſequitur Terillus, quæ ego a multis an„ nis dolens perſpexi, quando primum viros magni nominis, ſed effrenis „ ingenii fractis ſeveræ, juſtæque moderationis habenis ad laxè opinan„ dum, quaſi calcaribus adactos præcipitanter cucurriſſe, & adhuc curre„ re animadvertebam. Hæc ſunt, de quibus quamplures, doctrinæ probita„ tiſque laude conſpicui, mecum conqueſti ſunt. Hæc ſunt, quæ plurimo„ rum Doctorum verè Catholicorum (nam Janſeniſtas hæreticos non mo„ ror) per Italiam, Galliam, Belgiumque zelum exacuere, qui cum la„ xitatem hanc diutius ferre non ſuſtinerent, arrepto calamo ad eam ex „ hominum perſuaſione evellendam totis viribus exarſerunt. „ (*a*)

His graviſſimis vocibus a P. Terillo mutuatis, quid reſponſi attulerit Probabiliſmus? Injuriæ ne loco eas habebit? Confictis ne dolo, aut invidia putabit? Probat Terillus ſeveros Theologos, reprehendit laxitatis, & novitatis Patronos Probabiliſtas. Non ſunt illi Theologi Janſeniſtæ. Quinam ergo iſti ſunt tam ſeveri Theologi, quorum zelum commendat P. Terillus? Audi qui per Italiam, Galliam, Belgiumque zelum exacuere, cum laxitatem diutius ferre non ſuſtinerent. Quem ad finem? ſcilicet ad laxitatem hanc ex hominum perſuaſione evellendam. Ergo ne ipſe quidem Terillus ratus

(*a*) *Vide* Terilli *integrum locum apud* Concinnam *tom.* 2. *in Apparatu ad Theol.Chriſt. lib.*3. *diſſer.* 1. *c.*3. *Et in hiſtor. tom.* 1. *diſſert.* 2. *c.*3. §. 4. *pag.* 431. *& ſeqq.*

Digitized by Google

ratus eſt, hos Antiprobabiliſtas Italos, Gallos, Belgicoſque injuriâ egiſſe, cum animosè, totiſque viribus in Probabiliſmum urbe, & agro exterminandum exarſerunt. Sed hæc auſtero quidem modo dicta ſint.

Nam ſi urbaniùs agendum eſt, & auſterus ille Terillianus modus dimittendus, removebo omnem calumniam, tantum indicabo, quæ ingenue, & ſine ulla fallacia, maxima vero cum modeſtia Pater Concina de Probabiliſmo teſtatur. Nam *tom.* 2. *Appar. ad Theol. Chriſt. lib.* 3. *diſſer.* 9. *c.* 1. §. 2. *pag.* 625. *n.* IV. „ Pro certo, inquit, habemus ab errore Janſeniano „ Probabiliſmum diſtare. Qua propter in titulo capitis dictum eſt, Proba„ biliſmum *pendere* in Janſeniſmum, minime vero eſſe Janſeniſmum. Ipſi er„ go fatemur, abſolute a Janſeniſmo diſcrepare Probabiliſmum. Illud ſo„ lum in diſputationem vertitur, utrum facta collatione Probabiliſmi, & „ Antiprobabiliſmi, magis a Janſeniſmo diſtet Antiprobabiliſmus, vel Pro„ babiliſmus: ſeu illud explicandum ſuſcipimus, quid propinquitatis cum „ Janſeniſmo Probabiliſmus in conſpectu Antiprobabiliſmi præferat. „ Oſtendit deinde P. Concina, ac luculentis quidem argumentis oſtendit, Probabiliſtas reddere impoſſibilia Dei præcepta ex capite ignorantiæ; perinde namque ſe habet virium, ac cognitionis defectus. Alterutro deficiente impoſſibilis eſt præcepti obſervatio. Impoſſibilia aſſerunt Janſeniſtæ plura Dei præcepta ob virium defectum: impoſſibilia plurima aſſerunt Probabiliſtæ Dei præcepta ex defectu cognitionis: deeſſe quoque gratiam aſſerunt ad hæc præcepta cognoſcenda. Antiprobabiliſtæ è contrario pro dignitate ſentiunt de divina gratia, cujus vi, & cognoſcibilia, & exequibilia aſſerunt præcepta omnia &c.

Atque hæc Patris Concinæ ſunt, qui deinceps *cap.* 2. oſtendit quemadmodum Probabiliſmus viam aperiat omnibus fere Sectis in negotio Religionis probandis. Et *cap.* 3. fusè, latèque oſtendit, quemadmodum Probabiliſmus auctoritati ſummorum Pontificum, Regum, Theologorum, Sacerdotio, & Imperio noxius ſit, ejuſque vim, & poteſtatem eludat. Ne plura: Nam iſta quæ dixi ſatis ſunt, ut Gravinianus Probabiliſta tandem aliquando ſe colligat, ſeſeque moneat, ea tantum a nobis Probabiliſmo objici, quæ jure reprehendi debent, neque parem eſſe Probabiliſtas inter, & Antiprobabiliſtas Dominicanos criminandi cauſam.

Digitized by Google

§. X.

Consectarium III.

Si jure caret Gravinianus Probabiliſta reprehendendi ſanam Probabilioriſmi doctrinam: nullo certe jure agit, cum arreptis ex trivio parergis, & exoticis, quæ nihil ad cauſam Probabilioriſmi attinent, eos graviſſimos Scriptores Dominicanos ſugillat, quorum nomen neque noſtra laude ornatur, neque Graviniana cenſura minuitur.

Facile eſt, quemque ſibi perſuadere, injuſtè ſuam ab alio doctrinam reprehendi. Probabiliſta noſter, ut primum *Antiprobabiliſmi Vindicati* Theſes, Theſibus ſuis objectas, deprehendit, læſam famam ſuam, ac ſociorum Probabiliſtarum cogitavit. Nota eſt illa ars, qua ab exteris Scriptoribus reprehenſi totam nationem advocant, ut hanc confixam, deſpectamque conquerantur; ſcilicet privatam cauſam, publicam faciunt, ſeque jam non pro ſuis injuriis, ſed pro ſociorum, patriæque nomine in diſcrimen capitis, honoris, aut fortunæ veniſſe dictitant. O inane artificium! ut Poeticum illud poſſis dicere.

Ad Populum phaleras: *Ego te intus, & in cute novi.*

Quàm vellem, ut moroſus Probabiliſta maximè hoc loco expenderet, qua de re agatur. De ſana doctrina agitur contra adverſum Probabiliſtarum conatum. Oſtenſum eſt non Perſonas nos, ſed Probabiliſmi falſam doctrinam impetere. Ad te ipſum mi Graviniane (hoc enim nomine larvatus Probabiliſta prodis) ſed ego ad te, inquam, ipſum provoco, qui cum careas ſanæ doctrinæ juſtis præſidiis, Apologeticum tuum Parergis onerasti, tanquam haſtilibus contortis, quibus nos transfigeres. Quaſi vero, ut verbis utar Hieronymi (*a*), non legerimus Homero-centonas, & Virgilio-centonas? ac non ſic etiam ille, quem nonnulli P. Matthæum Moya malunt, aſcriptitius Guimenius aggreſſus ſit, cum in Dominicanos omnes, quotquot ejus palato non ſapiebant, qua jure, quave injuria, objecto probro denigrandos inſultaverit.

Ab eo tempore, quo P. Tamburinus ille celebris ex magni nominis auctoribus, quibus ſe moderandum, adſtringendumque concredidit recentior larvati noſtri P. Gravinæ Probabiliſmus, eam propoſitionem vulgavit, quæ eſt lib. IX. operis *in Decal. cap.* 2. §.2. *n.*4. 5. & 6. „ An ſi alio „ modo te ab injuſto teſte tueri nequeas, licitè falſa crimina illi poſſis ob- „ ji-

(*a*) Hieronymus *ad Paulinum Epiſt.* 53. *al.* 103. *de ſtudio Scripturarum cap.* 7.

„ jicere; quanta ſufficiunt ad tuam juſtam defenſionem? Duo affero. Unum „ mihi ſatis probabile; alterum ſatis incertum. Probabile mihi eſt, te, ſi id „ facias non peccare contra juſtitiam: unde nec obligari ad reſtitutionem „ . . . . Incertum mihi eſt, an id poſſit fieri licitè ſine ulla culpa. „ Idem P. Tamburinus, cui faſces ſuas ſubmittit Gravinianus Probabiliſta, propterea quod in morali Theologia cum id genus ceteris ſemper magnum nomen obtinebit. (voglio dire i Suarez, i Tamburini, i Sanchez, i Laiman, i la Croix, ed altri ſimili, che ſaranno ſempre gran nomi nella Morale Teologia, verba ſunt Graviniana *in Apolog. epiſt. ad Mecœnatem pag.* vi.) Itaque hic Tamburinus aliam quoque propoſitionem edixit *loc. cit. n.* 7. „ Si „ ſit neceſſe, publicas ſcripturas ementiri, poſſet ne notarius publicus ad hoc „ induci, ſi notario conſtaret mea conſcientia? Quid ni? Reſpondebis: „ Id enim non eſt infidelem eſſe Reipublicæ, ſed maxime fidelem; dum ejuſdem Reipublicæ innocentes ſic defenduntur. Verum ſi aperiatur hujuſ„ modi oſtium, quomodo ſtabunt publica judicia? Inveniantur, reſpondebis, teſtes veri, ut ſancta requirunt Tribunalia. Dum enim falſi teſtes, „ quacunque arte repelluntur, publica judicia firmantur potius, non in„ firmantur. Sed ego iterum audio: quia tamen adhuc durum audio, li„ benter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reſervo. „ Atque hæc Tamburinus. O tempora! O mores! O labores Antiprobabiliſtarum fruſtra ſuſceptos! O cogitationes inanes!

Sed quod cœperam, ab eo tempore, quo hæc Tamburini opinio Probabiliſtarum animos, menteſque occupavit, fuiſſe nonnullos, & vidimus, & videmus, qui ut famæ ſuæ, & ſociorum conſulerent, fas eſſe putarunt, falſa crimina Antiprobabiliſtis objicere, quanta ſufficerent ad ſuam defenſionem: Rurſus, publicas ſcripturas ementiri, ut innocens, quem putant, defendatur. Me miſeret Graviniani Probabiliſtæ, qui ut Sanctum Thomam ſibi fautorem inveniret, tribus illis opus habuit inductis in Præfatione Apologetici Conſiliariis; iſti loca *ex Opuſc. ex Quodlib. ex Secunda Parte* attulerunt; jura quoque, Sanctoſque Patres adjecerunt. An D. Thomam, Patrumque loca fuerint aſſecuti, non indiligenter in hoc Paradoxo dictum a nobis opinor. Sed ſi velitationi contra nos Gravinianæ inſignis Auctor adhibendus fuit, nihil erat opus S. Thoma: Unus aut alter claſſicus Probabiliſta Pater Tamburinus *inſtar multorum* jure exiſtimari poterat, quippe cujus doctrina apud ipſum Probabiliſtam noſtrum immortali nomine celebratur. Perge igitur Graviniane bone, tuere tuos, proſcinde, criminare exulcera noſtros, mores argue, Doctores, denigra, non ſit horum aliquis, qui tua cenſura non vapulet, ne vel ipſe S. Thomas, quem in Probabiliſtam verſum, & mutatum voluiſti. Egregiam illam antitheſin inſtituas Probabiliſtas inter & Probabilioriſtas *in Par. prim. Apol. Dial.* 7. *n.* 99. *pag.* 110. „ Ed ecco tre antiteſi de' miei Probabiliſti, e de' già voſtri Pro„ babilioriſti (e terminiamo il Dialogo) la condotta di quelli guadagna

„ I, ad

„ 1. ad eſſi ſublimità di merito; 2. a' Proſſimi frequenza di edificazione.
„ 3. a' Penitenti ſpirito di Perfezione. La condotta di queſti guadagna
„ 1. ad eſſi fondo di demeriti; 2. a' Proſſimi motivo di ſcandali; 3. a' Pe-
„ nitenti cumulo di peccati. Andate ora ad eſſere Probabiliorista. „ O Aquilæ ingenium! mirifice ſuum cuique tribuiſti. Vos ergo Dii eſtis, & filii excelſi omnes *(a)*. Jam ſaturati eſtis: Jam divites facti eſtis. *Sine nobis regnatis. Et utinam regnetis.* Vos prudentes, vos fortes, vos nobiles, nos vero ſtultos eſſe confitemur, ſed propter Chriſtum: nos infirmos, nos etiam ignobiles: *(b)* qui quotidie precari non erubeſcimus: Dimitte nobis debita noſtra.

„ Hoc ſolum requiro (liceat mihi affari te verbis eiſdem, quibus Hieronymus affatur Ruffinum *Apol. lib.* 3. c. 42.) „ ab eximia Sanctitate,
„ & cenſura tua, cujus tanta eſt puritas, ut ad ſudaria, & ſemicinctia
„ tua dæmones rugiant, cujus exemplum in ſcribendo ſequaris? Quis un-
„ quam Catholicorum in diſputatione Sectarum, turpitudinem ei, adver-
„ ſum quem diſputat, objecit? Sic te docuerunt Magiſtri tui? talibus in-
„ ſtitutus es diſciplinis, ut cui reſpondere non potueris, caput auferas,
„ & linguam, quæ tacere non poteſt ſeces? Nec magnopere glorieris, ſi
„ facias, quod Scorpiones poſſunt facere, & cantharides. Fecerunt hoc,
„ & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Joannem: quia veritatem non
„ poterant audire; & linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt;
„ Canes latrant pro dominis ſuis, & tu non vis me latrare pro Chriſto?
„ Scripſerunt multi contra Marcionem, Valentinum, Arium, & Euno-
„ mium, a quo eis objecta eſt turpitudo? Nonne toti in convincenda hæ-
„ reſi incubuerunt? . . . . Adverſum impiiſſimos Celſum, atque
„ Porphyrium quanti ſcripſere Noſtrorum? Quis omiſſa cauſa in ſuperflua
„ criminum objectione verſatus eſt? quæ non chartæ eccleſiaſticæ, ſed li-
„ belli debent Judicum continere. Aut quid refert, ſi cauſa cadas, & cri-
„ mine ſuperes? Non neceſſe eſt, ut cum periculo tui capitis accuſes. Uno
„ percuſſore conducto ſatis poteſt facere deſiderio tuo. „

Et ais. . . . . ſed vox in faucibus hæſit, Senecæ rapuiſti verba: *(c)* nobis ominaris: „ O vos uſu maxime felices, cum vitia noſtra imitari „ contigerit. „ Tibi ſit tua hæc felicitas. Nos qui Senecam in libro eodem de vita beata non omnino ignoramus, id, quod præfatur, & verius eſt ex ejus ſententia, tibi referimus: *(d)* „ Si (noſtri) & paria dictis agerent, quid „ eſſet illis beatius? interim non eſt quod contemnas bona verba, & bonis „ cogitationibus plena præcordia ſtudiorum ſalutarium. *Etiam citra effectum laudanda tractatio eſt. Quid mirum ſi non* aſcendimus *in altum ardua*

(a) Pſ. 81, 6. *(b)* 1, *ad Cor.* 4, 10. *(c)* *In Apolog. p. p. n.* 18. *pag.* 47.
(d) Seneca *de vita beata cap.* 27.

„ *dua aggreſſi. Sed tu viros ſuſpice, etiam ſi decidant, magna conantes.* „ Macte virtute: tibi quidem oculi non cæcutiunt, quibus vitia noſtra perſpicias; lippi ſunt, cum ſuſpicis aſcendentes in altum bona verba, & magna conantes. De nobis ſic habeto: Parati ſumus, injuriam pati magis, quam facere, Sin autem quandoque doctrinæ ſanæ cauſa facimus, & ne mores corrumpantur, tum profecto non injuriam facimus, ſed falſum, adverſumque ſanæ doctrinæ reprehendimus.

An non poſſemus maledicta, maledictis figere, & cornicum oculos, ideſt, callidos homines, & verſutos aſtutia, atque calliditate ſuperare? Et ut id omittam: Hoc tamen promptum eſſet, integrum Codicem Gravinianæ in nos maledicentiæ exhibere? Quod ſi, ab Apologetico iſto tuo, quas in nos conjicis, offenſiones retrahes, vix ſupererit aliqua pagina non vacua. Verum id etſi facerem: Cui bono? noſtri clari ſunt; ſicut aurum per aquam & ignem, Probabiliſtis licet frementibus, & accuſantibus, probati ſunt, invicti manent. Vituperatio hoſtilis ſuſpecta eſt, elumbis, imbecilla, nugacitatis, & impudentiæ plena. Pro veritate quippe charitatis illi pugnarunt; nec in caſſum. „ Effecerunt enim, auctore, ac teſte tibi ſatis probato P. Terillo *in cit. Prolog. ad tract. de Conſcient.* „ Effecerunt, inquam, ut „ plures a laxis opinionibus edendis abſtinuerint: quod nec parvum, nec „ indignum *operis ab illis ſuſcepti præmium merito exiſtimari debet.* „ Tu interea ò felix, ter, quaterque beate, qui in turba Phœnicum agis, qui ſine ullis vitiis ſocietatem tenes Angelorum, cave ne dente ſuperbo frenum, quod illi tibi, laxiſque opinionibus injecerunt, mordeas. Sobrius eſto: Hæc cogita, & bonam in partem interpretare.

PARADOXUM III.

Probabiliſmus hujus ætatis, pro quo Gravinianus Probabiliſta contra Probabilioriſtas certat, nova doctrina eſt, ortum habens a P. Antonio Terillo Soc. Jeſu ingenioſo Scriptore.

QUæ dicturus ſum, quanta maxima brevitate poſſum; fusè ante me dixerunt inſignes Theologi, quos inter uberiùs P. Vincentius Contenſonius, P. Tyrſus Gonzalez, & P. Daniel Concina. Summatim ego quædam attingo, ut Gravinianum Probabiliſtam excitem, adhorterque ad abjicienda illius fabuloſæ hiſtoriæ præjudicia, quibus tenebras, lucem, & noctem diem *impavide* aſſeverat *in Apol. p. p. Concl.* XIII. *pag.* 129. *Tria hæc inquit meridiana luce evidentiora eſſe; & præter omnem controverſiæ aleam poſita.* 1. *Probabiliſmum, totus quantus eſt, Thomiſticum eſſe origine.* II. *Diuturnam Probabiliſmi adoleſcentiam acceptam in primis re-*

ſe-

ferendam eſſe Thomiſtis. III. *Antiprobabiliſmi initia ſtratagemma eſſe merum ſectæ Janſenianæ*; *nec non Antiprobabiliſmi curſum magna ex parte ejuſdem ſectæ operis eſſe*, & *laboris*. Hæc tria Dialogis de induſtria nocturnis, ut alio loco dixit, amplificare, & ornare conſtituit. Quo tempore nox ſibi dies eſſe videbatur, & tenebras vice meridianæ lucis habebat. His circumfuſus tenebris primum confusè & multa, & varia, & diſparata complectitur in ſua illa *Prænotione* opinionis probabilis. Nihil tam veretur, quam ne dubitare de ſuis præjudiciis videatur. Periclitemur, ſi placet, ipſam opinionis notionem.

§. I.

Prænotio opinionis probabilis a Graviniano Probabiliſta tradita æquivocis, & fallaciis implicatur.

OMnis in quærendo, quæ via quadam, & ratione habetur, oratio, præſcribere primùm debet, qua de re agatur, ut inter quos diſſeritur, conveniat id, de quo diſputetur. De Probabiliſmo hic agitur, ejus notio quæritur: Trattaſi; (inquit *Apolog. p.p. Dial.* 3. *pag*.61.) „ Trattaſi qui „ di opinione Probabile; l'eſſere di opinione forma il Genere; l'eſſere di „ Probabile forma la differenza: ed amendue formano una determinata ſpe„ cie di opinione. „ Opinionem equidem genus eſſe, Gravinianus Probabiliſta docet, Probabilitatem ſtatuit eſſe differentiam. Quod eo vaniùs ſtatuit, quia Generis notioni enuntiatum illud S. Thomæ *p. p. q*. 79. *ar*. IX. *ad* 4. attribuit: „ Opinio eſt actus intellectus, qui fertur in unam partem con„ tradictionis cum formidine alterius. „ Nam ſi quævis opinio id obtinet, ut in alteram contradictionis partem inclinetur: certe probabilitas non erit differentia conſtituens ſpeciem, ſed eſſentia, ut ſcholæ loquuntur, opinionis.

Ac locus D.Thomæ *de Verit.q*.14.*ar*.1. in Paradoxo II. indicatus fuit. Diſcrimen opinionis à dubio in eo verſari didicimus a D.Thoma, *quod propter defectum moventium* . . . . *& propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem* anceps hæret, & dubius intellectus. At intellectus idem tum fit opinans, cum per aliquid movens inclinatur magis ad unum, quam ad alterum. „ Omne enim inquit D. Thomas, quod eſt „ determinatum ad duo, non determinatur ad unum eorum, niſi per ali„ quod movens ipſum . . . . Sed tamen illud inclinans non ſufficienter movet „ intellectum ad hoc, quod determinet ipſum in unam partium totaliter. Unde „ accipit quidem unam partem, tamen ſemper dubitat de oppoſita: & hæc eſt „ diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formi„ dine alterius. „ Hæc Thomiſtica nullis egent argumentis. Perſpicuum eſt enim, id ad cujuſque rei notionem pertinere, per quod res ab eis ſeparatur,

Digitized by Google

tur, quæ non ſunt ipſa res. Quare ſi probabilitas eſt id, per quod opinio ſeparatur a dubio: planum ſit, & apparet, eam non eſſe differentiam additam generi, quæ nimirum cum opinione conſtituat ſpeciem, ſed eſſe propriam ipſius opinionis notionem.

Deinde in eo hallucinatur nocturnos Dialogos inſtruens Probabiliſta Gravinianus, quod opinionum ſeu genera, ſeu formas ne dividit quidem. Nam opinio multifariam dicitur. Alia ſubjectivè, alia objectivè. Notio illa S. Thomæ *diſpoſitio ſubjecti opinantis eſt*: non objectum, ſeu res, de qua a pluribus variè, & diverſimodè opinatur. Rurſus opinio alia abſolutè dicitur, ſeu contrariè: alia dicitur relativè, ſeu comparatè; Quo in genere alia eſt probabilior, alia minùs probabilis; quemadmodum alia dicitur vera, alia falſa opinio. Atque hæc nota ſunt lippis, & tonſoribus. Nec enim latent larvatum noſtrum Probabiliſtam. Sed omiſit tamen iſtam diviſionem, ſeu diſtinctionem præmonere hac fortaſſe mente, ut faciliùs aurito gregi, & ſervo pecori Probabiliſmi palpum obtruderet. Ecce tibi Gravinianæ prænotionis conſilium: Cum opinio minùs probabilis quædam veluti ſpecies ſit illi generi ſubjecta, quod eſt *Opinio Probabilis*; Cumque opinioni cuivis probabili conveniat dos ſolidæ rationis: Efficitur ſtatim ex hac Graviniana prænotione, opinionem minus probabilem etiam in conſpectu probabilioris nixam manere ſolidis rationibus. Niſi hoc eſſet imbutus præjudicio Gravinianus noſter Probabiliſta, quonam pacto tam animosè *quinto loco* prænoſcendum decreviſſet: „ *Uſus opinionis* „ *Probabilis ſitus eſt*, *aut in Probabiliſmo mero &c. aut in mero Probabi-* „ *lioriſmo*: „ Eſt ergo Probabiliſmus una ſpecies, altera Probabilioriſmus, illius præcognitæ opinionis probabilis tribus Gravinianis dotibus locupletatæ.

Dulcia ſomnia hæc ſunt, aut certè verboſa myſteria optantis, non prænoſcentis Probabiliſtæ. Etſi verò probabilitas objectiva in re opinata duplex eſſe poſſit, altera major in unam partem, altera minor in contrariam partem: at ipſa opinio ſubjectivè accepta, hoc eſt, diſpoſitio intellectus opinantis, qui propter movens probabile inclinatur in unam partem contradictionis, duplicem illam probabilitatem majorem in unam partem, & minorem in contrariam partem, ſuſcipere nullo modo poteſt. Quin etiam abſurdum ſanè, ac impoſſibile eſt, ut ſimul in utramque contradictionis partem magis & minus inclinetur. Opinantis namque motus ſic determinat intellectum in unam partem, ut contrariam, cum formidine licet, falſam putare cogatur. Hinc D. Thomas Ariſtotelem commentatur *lib.* 1. *Poſt. Analyt. lect.* 44. *lit.* h. abſurdum, & inconveniens eſſe, quemquam ſimul opinari verè, hoc eſt, probabiliùs Diametrum eſſe commenſuratum, & opinari falsò, hoc eſt, minus probabiliter Diametrum non eſſe commenſuratum. Hæc non iiſdem quidem verbis, ſed eodem planè ſenſu Ariſtoteles, & D. Thomas.

 At-

Digitized by Google

Atque hæc cauſa eſt, cur opinio minus probabilis comparatè ad probabiliorem in eodem intellectu opinante non ſecus dicatur opinio, ac in Dialecticis mala conſequentia dicitur. Quanquam enim Dialectici tribuant conſequentiam in bonam, & malam, ſola tamen bona eſt conſequentia. Simili igitur de cauſa Theologi opinionem ſubjectivè in veram, & falſam, ſeu in probabiliorem, & minùs probabilem tribuunt; ſola tamen probabilior eſt opinio: minus probabilis, quæ falſa cum formidine putatur, non eſt opinio. Scitè de falſa opinione S. Thomas differens *q.* 16. *de malo ar.* 6. ait: „ Falſa opinio eſt quædam defectiva operatio intellectus, ſicut partus monſtruoſus eſt quædam defectiva operatio naturæ. Unde Philoſophus dicit in 6. *Eth.*, quod malum intellectus eſt falſum. Defectiva autem operatio ſemper procedit *ex defectu* alicujus „ *principii cognoſcendi*, ſicut in nobis falſa opinio accidit, plerumque ex „ indebita ratiocinatione.„ Et Cotta ille Marci Tullii *lib.* 3. *de Nat. Deor. cap.* 28. *n.* 31. „ Omnis, inquit, opinio ratio eſt, & quidem bona ratio ſi vera: mala autem, ſi falſa eſt opinio.„ Sed his rebus omnibus Gravinianus Probabiliſta admoneri ſatis poteſt de ancipiti illa, & mirificè æquivoca prænotione opinionis probabilis, qua fucum facere thoroſulis, & comatulis voluit, ut confusè, & promiſcuè opinionem cogitantes, Probabiliſmum, tanquam myſterium ſuſciperent, quaſi adhuc retineat probabilitatem in conſpectu Probabilioriſmi. Ludere eſt hoc, non prænoſcere ſtatum ipſum cauſæ, qua de agitur, & diſputatur. Non enim de opinione abſolutè accepta hoc loco diſputatur. Hæc enim illa opinio eſt, adverſus quam nihil apparet ratione dignum, quod evincat contrarium. Quia tamen ex principiis contingentibus, & non neceſſariis ratio ducitur; ideo non ſcientia, ſed opinio eſt abſolutè probabilis. Præterea nec de opinione hic objectivè accepta Probabiliſtas inter & Antiprobabiliſtas quæritur, quippe quam, facile convenit duplicem illam minorem, & majorem probabilitatem ſuſcipere, ac retinere poſſe. Omnis quæſtio in eo verſatur, an ejuſmodi eſſe queat diſpoſitio opinantis, ut probet tanquam ſolidè, & verè probabilem unam partem, ſi in alteram veluti probabiliorem adhibita ſufficienti, & juſta inveſtigatione veritatis feratur. quod nos omninò negamus, & pernegamus.

Benè habet: jacta ſunt fundamenta contentionis. Nondum enim ex Gravinianis prænotionibus patefactum erat probabilis opinionis multiplex genus: quæque cujuſvis generis propria notio. Id igitur ante præſtare me oportuit: ne vagari, & errare cogatur oratio, ſi ii, qui noſtra legerint, non idem eſſe illud, de quo agitur, intelligent. Nunc ad Gravinianam Probabiliſmi hiſtoriam accedamus.

§. 11.

Digitized by Google

§. II.

Tradit partitiones Gravinianas de priſcis, & Junioribus Thomiſtis, de Probabiliſmo, deque Antiprobabiliſmo.

ARcem, ut ipſe loquitur, hiſtoriæ ingreſſurus invidiam creare Scholæ Thomiſticæ machinatur, quam Parentem, & Altricem facit Probabiliſmi (*a*). Quoto tempore? ait, integrum ſeculum. Priſci illi Thomiſtæ plauſum totius mundi meruere: iſti RR. & hujus ætatis Antiprobabiliſtæ plauſum Janſenianorum, quibus ducibus, & auctoribus inſectantur Probabiliſtas. Illi doctiores, & aureæ ætati ſimiles, iſti veluti ferreæ ætatis rudes, & inglorii. Obſcuratum namque aurum dicit, mutatum eſſe colorem optimum. Translatam gloriam noſtram ad alienos, ad Probabiliſtas nimirum. Ornamenta ſunt iſta, quibus parem gratiam referre vix poſſumus. Sed vetuſta ſatis, detrita, & ab aliis Probabiliſtis jam pridem nobis elaborata. Probabiliſmum exordia cœpiſſe ab inclyto, ut ille ait, Prædicatorum Ordine argumentatur *Concl.* XIV. *pag.* 129. *p.p. Apolog.*

Duo in genera tribuit (*b*) Probabiliſmum, & Antiprobabiliſmum, alium dicit adumbratum, alium dicit ſcholaſticum. Antiprobabiliſmum item alium civilem, manſuetum, ſpeculativum appellat, alium iratum, Anti-Jeſuiticum, capitalem, modernum, practicum. Mirùm quàm feliciter dividendi, ſeu potius frangendi arte potiatur. Cedo Socratem, ut revereatur eum, quem maxime noſſe optaverat *in Phædro Platonis*: Si quem ajebat, nactus fuero ducem, qui rectè partiri ſciat „ ejus ego, ut Dei „ cujuſdam veſtigia ſequar. „ Qualis eſt iſta dialectica, quæ genus partiri præcipiat non ex formis generi eidem ſubjectis, ſed ex ſordibus, aut ornamentis, quæ generi accidunt? Hoc modo Philoſophiam aliam dicere poſſet, manſuetam, & ſedatam, quam priſci quidam Philoſophi tradiderunt, aliam iratam, & procacem, quam Sophiſtæ etiamnum oſtentant: hoc eſt non dividere, ſed frangere. Vitia namque non in Philoſophia ſunt, ſed in moribus. Quanto meliùs Gravinianus noſter Terillo ſuo arriſiſſet, ſi omiſſa Antiprobabiliſmi inani diviſione, Probabiliſmum ita partitus eſſet, ut alium ſpeculativum, & ſcholaſticum multo ante Medinam cum P. Vaſques fateretur, alium practicum, & morum, ſanæque doctrinæ corruptorem ab iis Probabiliſtis ortum, quos P. Terillus veriſſimè accuſat. Sed utar partitione illa Graviniana. Probabiliſmus ergo uterque tum adumbratus, tum ſcholaſticus Prædicatorum Ordini acceptus referendus eſt. Bene habet. Sed quo auctore? Graviniano nimirum Probabiliſta.

(*a*) *Apolog.* 1. *p. in concl.* XIII. & *n.* 131. & *ſeq.*, *Et* 2. *par. concl.* 44. *n.* 399. & *ſeqq.* (*b*) 1. *p. p. Apol. n.* 137. & *in* 2. *p. n.* 414.

§. III.

Exponit Gravinianam hypoteſim, ſeù potius Antilogiam de ortu Probabiliſmi adumbrati.

ATque ut ab adumbrato ordiamur: Qua fronte *in Concluſ.* 38. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam veteris, & novi Teſtamenti* multo ante Ordinem Prædicatorum vexat, ut adumbratum ex utraque educat Probabiliſmum? Nam ſi veſtigia non preſſa leviter extare comperit in Machabæorum geſtis, in Actis Apoſtolorum, & Cypriani, ac in aliis pluribus, quæ ſunt Probabiliſtarum commenta, & æquivoca; quid ni Probabiliſmus adumbratus antiquior dicatur non modo FF. Prædic. Ordine, verum etiam religione ipſa Chriſtiana? præſertim cum Canon ille, qui B. Alberto Magno tribuitur *in cit. Concl.* XIV. nihil afferat, quod Probabiliſmo ſuffragetur, nihilque obſit Antiprobabiliſmo (*a*). Porro cauſam ſi quæris, hæc una eſt; quia moribus Probabiliſtarum teſte P. Terillo *in cit. prolog. ad tract. de Conſc.* comparatum fuit, ut leviſſimis ratiunculis ducti Antiquorum Theologorum opinandi ſeveritatem non modo clàm carpere, ſed palàm auſi ſunt ſcriptis ſuis condemnare, hoc eſt, perversè interpretari. Et adhuc quia dum animo, ut in iſtis fieri ſolet, pro veritatis indagatione minus bene diſpoſito ad confirmanda prurientis ingenii commenta incumbunt: quidquid vel minimam veritatis ſpeciem præſefert, avidiore animo arripere, atque in illo ſibi mirè complacere noſcuntur. Hac de cauſa umbris ſuis captus moroſus Probabiliſta in Ordine Prædicatorum uſque a B. Alberto Magno Probabiliſmum venatur. Sua non magni intereſſe putavit, ſi adumbratus Probabiliſmus longè ante Ordinem Prædicatorum in antiquiori officina elaboratus fuerit.

Albertus ergo Magnus, Humbertus, S. Antoninus, Joannes Nyder adumbrato Probabiliſmo originem dederunt? *Totus quantus eſt Thomiſticum eſſe origine* luce meridiana evidentiùs apparet? Quæro: An extra totum egregius Dialecticus partem aliquam reſervari poſſe opinabitur? nos bardos, & plumbeos, qui nihil extra totum invenimus. Sed audi ſeſe involventis hominis præſtigia. Cum Probabiliſmum, *totus quantus eſt*, origine Thomiſticum dixerit, partem invenit extra totum. Mox enim adhibere volens ſuis ſcriptis aliquam rimulam, unde elabatur, ſi premi, & urgeri contigerit, ad extremum addit: (*b*) „ Solo vi dico, che quì ſi porta l'Al-
„ berto Domenicano per dinotare, che non il ſolo Probabiliſmo Scolaſti-
„ co debbaſi dire Domenicano; ma *in parte* ancora quel, che non è Sco-
„ la-

(*a*) *Vide ſis apud* Concinam *tom.* 2. *Apparat. ad Theol. lib.* 3. *diſſer.* 4. *c.* 4. *n.* 9. (*b*) *Apol. p. p. n.* 141. *pag.* 138.

„ laſtico maſſime per queſta regola quanto famoſa, tanto favorevole „ al Probabiliſmo anche Scolaſtico. Si Probabiliſmus non Scholaſticus, quem adumbratum appellas, *in parte* tantum eſt Thomiſticus, quæ tua eſt iſta Dialectica, ut ex eo dicas Probabiliſmum totus quantus eſt origine Thomiſticum, quod „ B. Albertus Magnus canone illo inter Antiquos „ Thomiſtas celebratiſſimo de *Fratre* ſimplici Probabiliſmum noſtrum „ adumbravit. „ Ergo *in toto* non *in parte* adumbratus fuit. Verum linquamus hæc: Puerilia namque ſunt, & circulatorum ludo ſimilia.

Illud moneamus, quod parum diligenter, ac potius data opera, & docta negligentia recolere non dum ſtudet Gravinianus noſter: Aliud eſſe quicquam probabile geſtum, aut dictum apud antiquos ſcriptores inveniri; Aliud loca illorum ſic æſtimare, ut contrahenda ſint ad minus probabile. Primum ſpectat ad Probabile abſolutè, ſeu, ut Scholæ vocant, contrariè. Alterum ad Probabile relativè. Noſſe primum opus erat, an de eo probabili priſci Thomiſtæ loquantur, quod relativè, & ſubjectivè dicitur; Idque nobis aperire: ne per nos audiat, ſe abuti locis illis Thomiſtarum. Hoc autem magis Gravinianus Probabiliſta abutitur, quod anicularum more, quæ miſer optat, ut originem Probabiliſmi effodiat, ea ibi ſe adumbraſſe credit, ubi Probabilitatis nomen invenit. Quo ſane abuſu *Terillizzare*, & *Caramuelizare* facile etiam potuiſſet, ut Angelos non quidem bonos, ſed malos in Cœlo Probabiliſmum procreaſſe defenderet: eundemque in Paradiſum terreſtrem exportaſſe; quippe cujus lenociniis Heva probabiliter rata eſt, ſe Divam evaſuram, ſimul atque de ligno boni, & mali comediſſet. Atque hæc tam obſcura, & caliginoſa natalia Probabiliſmus accepta refert Caramueli. Nobilius eſt P. Terilli figmentum, qui SS. Virginem Deiparam opinione minùs probabili uſam fuiſſe interpretatur, quo die exiſtimans filium puerum eſſe in comitatu(*a*), de illo parùm ſollicita fuit. Quàm hæc ſpecioſior fuiſſet Graviniani Probabiliſmi origo! multo certè illa dignior, qua *totus quantus* eſt Thomiſtis tribuitur. Cum tam licentèr probabile, quod in ſolum, ut dicitur, venit, ſuam in rem traducat, Caramuelis potius, & Terilli originem adoptare debuiſſet. Apage iſtiuſmodi non Probabiliſtarum judicia, ſed otioſè contemplantium ſomnia. Si cupis probabiliſmi fontem, & ortum *adumbrare*, memento lector, peccati originalis labem humanæ menti aſperſam; nihil hærebis, quin hujus legitimum fœtum Probabiliſmum dijudices. Vide ſis D. Th. *q.* 18. *de Verit. a.* 6. *c.* Nunc alteram Probabiliſmi originem excutiamus.

§. III.

(*a*) *Luc.* 2, 44.

Digitized by Google

§. IV.

Probabiliſmus reflexus, quem Gravinianus Auctor; Scholaſticum appellat, deſcribitur.

QUid hujus Probabiliſmi nomine veniat his verbis aperit egregius Probabiliſta *in Apolog. p. p. n.* 137. *pag.* 135. „ Eccomi: Due „ ſorti di Probabiliſmo conſidera il P. Gravina, altrettante di „ Antiprobabiliſmo. Conſidera dunque due Probabiliſmi, altro Scolaſti„ co (*ut in præſenti ab Academiis diſceptatur*, trattato *apertis formulis*; „ che ſono fraſi del P. Gravina in queſte due Concluſioni adoperate) al„ tro non Scolaſtico; Probabiliſmo più abbozzato, ch' eſpreſſo; però „ egli lo chiama nella Concl. XIV. *Probabiliſmum adumbratum*. Queſto „ (a parlare co' termini della Scuola) è un Probabiliſmo *Virtuale*, *Eſer*„ *cito*, *Diretto*. Quello *Contenzioſoſo*, e di *Diſpute*; queſto *Pacifico*, e „ di *Eſercizio*. Il Probabiliſmo *Scolaſtico*, *Formale*, *Segnato*, *Rifleſſo*, „ *Contenzioſo*, di *Diſputa* l' è giuſto, giuſto il Probabiliſmo, che di pre„ ſente ſi tratta nelle Scuole, meſſo ſu' ſuoi termini formali, e chiari, fa„ cendoviſi ſopra mille rifleſſioni, agitandoſi nelle Diſpute ſotto queſta, „ o ſimile eſpreſſione: *Utrum liceat ſequi minus probabilem relicta Proba*„ *biliori? Utrum liceat ſequi opinionem libertati faventem, relicta opinio*„ *ne, legi favente, æquè probabili*. „

Benè vero quod fortunatus noſter Probabiliſta in manus meas incidit, qui neque jacere ridicula, & faceta didici, neque falſis, aut aſperis libenter utor; ſed illud quæſo me doceat, quid ſibi volunt tot farcimina vocabulorum, quibus Scholaſticus Probabiliſmus tanquam teſſerulis variegatus exponitur. Primùm deſcribitur à tempore, & formulis, *ut in præſenti ab Academiis diſceptatur*, *trattato apertis formulis*. Mox idem dicitur contentioſus, & diſputatus. Rurſus additur: *Il Probabiliſmo Scolaſtico*, *Formale*, *Segnato*, *Rifleſſo*, *Contenzioſo*, *e di Diſpute l'è giuſto giuſto il Probabiliſmo*, *che di preſente ſi tratta nelle Scuole &c.* Niſi me Graviniana exponibilium ars fallit, quod ipſe nunc tuetur, & ſuam in clientelam recipit, Probabiliſmi genus in eo eſt poſitum, ut ſit non directus, ſed *reflexus* Probabiliſmus; hic probabiliſmus is dicitur, qui modò in Scholaſticorum contentionibus, & diſputationibus verſatur. Quare ſi paucis dicendum ſit: Probabiliſmus *directus* eſt ille adumbratus ante, vel poſt Bartholomæum Medina, Probabiliſmus reflexus eſt iſte ſcholaſticus, formalis, ſignatus, contentioſus, qui in Scholis nunc diſputatur. Tectus noſter Probabiliſta admodum cautè, & quibuſdam adhibitis veluti epithematis plurium verborum indicare voluit *reflexum* ſuum Probabiliſmum. Hunc cum ſæpius in ſcenam inducat, tamen quo ad conniti potuit, occultare hoc loco ſtudet, ut ſcholaſtici ſui Probabiliſmi totam originem

Bar-

Bartholomæo Medina adſcribat, ac Scholæ item Thomiſticæ. Etiam Moliniani Thomiſtas ſe eſſe, & videri effutiebant; cum contra divinæ gratiæ efficaciam pugnarunt. Quo ſenſu Gravinianus Probabiliſta minus abſurdè diſſerit, cum reflexum Probabiliſmum Thomiſtis, ideſt, Molinianis Probabiliſtis attribuit. Verum ſimultatis, & falſæ imputationis crimen haud evadet, ſi hac nominis abuſione Thomiſtas ſe Dominicanos notare velle contendat. Sed nugas, & cavilla dimittamus.

§. V.

Negat Bartholomæum Medina, aut alium quemvis Ord. Prædic. Theologum, Probabiliſmi reflexi, ſeu ſcholaſtici jam jam deſcripti Auctorem, vel Doctorem ullo quovis tempore extitiſſe.

VEri Thomiſtæ, qui Ordinem Prædicatorum profeſſi ſunt, ſeſeque Angelici ſui Præceptoris doctrina imbuendos commiſerunt, ii nunquam, ne voce quidem, reflexum Probabiliſmum adumbrarunt. Qui nunc recens eſt Probabiliſmus, quemque Probabiliſta noſter Anti-Dominicanus profitetur, totus quantus eſt, P. Terillum habet Auctorem, Parentem, ac Inventorem. Qua de re ſtatim aggrediar, ſi prius quaſi de fama Bartholomæi Medina deque totius Ordinis Prædicatorum Theologis dixero. Nego, & pernego Scholam Thomiſticam O. P. genuiſſe, aut educaſſe Probabiliſmum: nego iterum Bartholomæum Medina auctorem fuiſſe Probabiliſmi reflexi: Nego alium quemvis O. P. Scriptorem, aut ante, aut poſt Medinam huic reflexo Probabiliſmo adſtipulatum eſſe. Quid? inaudita ne hæc ſunt? Mihi quidem non videtur. Antiprobabiliſtæ omnes Scholæ Thomiſticæ Ordinis Prædicatorum ſummo conſenſu ajunt. Qui duo e caſtris Probabiliſtarum nuper exierunt, P. Nicolaus Ghezzius, & P. Gaſpar Joſeph Gagna multo plura objecerunt, nec illa, quæ crambis inſtar recoctæ de Thomiſtica Probabiliſmi origine larvatus hic Gravinianus obtrudit, in præteritis reliquerunt. Quid igitur cauſæ fuerit, cur illis robuſtis Diſceptatoribus a Patre Concina abundè ſatisfactum ſit, ut terga dediſſe intelligantur? Unus tamen Gravinianus Probabiliſta, quaſi non dum confecta re, certamen iterum inſtituat, vitra fracta, ac veteres næniàs medium in agmen educat, bellicum moleſtè nimis, & ad nauſeam uſque canat?

Video quantum temporis ei ſuperfuerit ab eo anno, quo Pater Concina publicis formis impreſſit opuſculum. cujus titulus: „ Eſame Teologico del libro intitolato, Saggio de' Supplementi Teologici, Morali „ Critici di cui abbiſogna la Storia del Probabiliſmo &c. pubblicato con „ le ſtampe di Lucca l'anno 1744. dal R. P. Niccolò Ghezzio. In Peſaro „ 1745. appreſſo Nicola Panelli. „ Sed illud mihi in dubium venit, an omne hoc tot annorum elapſum tempus colligendis ſpoliis Ghezzianis reli-

ctum

Digitized by Google

ctum Probabiliſta noſter, non ad oblivionem veteris belli, ſed ad comparationem novi contulerit? At nova inſtrumenta ex monumentis annalium eruenda erant, non decantatis jam, contritis, & plene confutatis ſophiſmatis iterum certamen intentandum. Verùm ita ſe res habet, Probabiliſmi injuria nobis, totique Scholæ Thomiſticæ rurſus obtruditur. Sic cauſa agitur, quaſi modo primùm audiatur, non quaſi convicta, & prope jam damnata opinione omnium tacita teneatur.

„ Potiſſima (inquit Gravinianus) cauſa, cur Probabiliſmus origi-
„ ne Thomiſticus ſit, ex eo naſcitur, quod Reverendiſſimus P. Seraphi-
„ nus Cavalli, Univerſi Prædic. Ordinis Generalis Magiſter interpoſita
„ Præcepti, ut ajunt, formalis religione Bartholomæum a Medina anno
„ 1577. adegerit, ut Ethicam ſuam in 1. 2. publici juris faceret, quam,
„ & Aurearum expoſitionum elogio honeſtare placuit. „ Huic Concl. quæ eſt xv., adjungenda eſt Concl. 29. & 30., in quibus refricatur aliud Præceptum obedientiæ ex Ordinat.xx1.Capituli GeneralisOrd.Præd.Romæ 1644., quo mandatum eſt P. Idelphonſo Baptiſtæ, ut publici juris faciat Commentaria in 1. 2. *ubi Idelphonſus veſtigia premens eximii Doctoris Perfectorem ſe exhibet Probabiliſmi*. Sic enim differit larvatus Pater Gravina. Neque præter tricas, & nugas aliud quippiam argumentatur in ſuis Dialogis *p. p.* Apologetici, quod pondus, & firmamentum ſuſceptæ cauſæ contra Ordinem Prædicatorum afferat. Eadem fermè repetit *in Poſtillis* 2. *p. Apol. ad Concl. XL.* & duas ſequentes, a quibus ſi Parerga, & quiſquilias ſecernas, nihil reliqui invenies, quod nos premat.

Hoc in loco non ego illud diſputo, Præcepta Majorum, quibus jubemur publici juris facere ſcripta, & commentaria, quæ elaboramus, non ita eſſe interpretanda, ut Majores illi, qualemcumque opinionem Auctoris probent, & quaſi de ipſorum ſenſu opinio dicta ſit, fidem ſuam oppignorent. Planum hoc eſt vel cuique Probabiliſtæ, ne fateri cogatur, quicquid ſapientiſſimus Tyrſus Gonzalez inclytæ Societatis Jeſu Generalis mandato Innocentii Pont. Max. pro recto uſu opinionum Probabilium publicam in lucem emiſit, id omne Sedis Apoſtolicæ ſententiam, atque decretum cenſeri oportere. Quod ſi fateretur, Probabiliſta noſter Gravinianus mucrone ſe ipſo ſuo confoderet. Præterea neque illa diſputabo, quæ de Reviſoribus, & Cenſoribus librorum Pater Concina identidem, atque eruditè tradit cum alibi, tum præſertim *in Apparatus tom.* 2. *lib.* 3. *diſſer.* 2. *c.* 5. *n.* 12. *&* 13. *pag.* 372. *& ſeq. & diſſ.* 5. *c.* 1. *n.* 13. *pag.* 457. ubi docti Patris Carmargo, & Patris Dominici Viva verba exſcribit. Quibus illa accedunt, quæ ad rem noſtram aptiora diſputat contra P. Ghezzium in laudato *Examine Teologico.* Pauca deligam *ex cap.* 4. §. 4. *n.* 1.

„ Nel 1577. inventò il P.Medina Domenicano il Probabiliſmo. Cir-
„ ca il 1582., o in quel torno inventò il R.P. Ludovico Molina *la ſcien-*
„ *za media, ed il ſiſtema del patto, e della grazia &c.* Queſta novella dot-

tri-

Digitized by Google

„ trina fu riputata in quel tempo non ſolo da i Domenicani, ma da i più „ celebri Dottori, per quanto raccoglieſi dall'Eminentiſſimo Baronio, e da „ più altri Scrittori, come falſa, pericoloſa, e contraria alla dottrina de' „ Padri. Perciò fu accuſata a' ſupremi Tribunali. *I più dotti Tomiſti „ per lungo corſo di anni, tutti erano occupati, a combattere principalmente „ il novello Moliniano ſiſtema. Per lo che divertiti da queſt' occupazione, „ agio non ebbero di ben diſaminare il ſiſtema Probabiliſtico*. E realmente „ pochi ſcriſſero in coteſti tempi di propoſito ſopra la Teologia morale. „ *I Teologi Domenicani ne' loro corſi Scolaſtici ſcriſſero anche del Proba- „ biliſmo; ma ſecondo il medeſimo Gonzalez Generale della inclita Compa- „ gnia i più dotti diſeſero ſoltanto la minor Probabilità OBBJETTIVA, „ non mai la SUBBJETTIVA, come ſi è detto.*

II. „ Vuole riparlare il P. Ghezzio a difeſa de' ſuoi Confratelli De- „ Camps, e Daniele, i quali pretendono, che *tutta intera* la Religione „ Domenicana abbia ſoſtenuto il Probabiliſmo ſu queſto fondamento. Il „ Medina, e il Bannez, l' Alvarez, il Ledeſma, il Gallego, Giovanni „ di S. Tommaſo, Idelfonſo, Tapia, e tutti in ſomma i Teologi Scolaſtici „ inſegnano il Probabiliſmo. Queſti erano i Maeſtri degli altri Domeni- „ cani. Adunque tutta la Religione Domenicana era ſeguace del Pro- „ babiliſmo. *Il P. Ghezzio, ed i ſuoi De-Camps, e Daniele poco pratici „ ſono della Domenicana Religione in così diſcorrendo. I Commentarj vo- „ luminoſi degli allegati Scolaſtici ripieni di ſpinoſiſſime controverſie Scola- „ ſtiche, non ſono ſtati mai i libri comunemente ſtudiati da i Domenicani „ per imparare la morale Teologia. Quali dunque ſono ſtati coteſti libri? „ Eccogli. La ſomma di S. Raimondo, la ſomma di S. Tommaſo, la ſomma di „ S. Antonino, la ſomma Silveſtrina, la ſomma del Gaetano, la ſomma „ del Tabienſe, le opere de' due Soti, Pietro, e Domenico, le opere del „ Venerabile Luigi di Granata, e del grande Arciveſcovo Bartolommeo de „ Martyribus. Queſti ſono i Maeſtri della Teologia Criſtiana, che ſtudia- „ vano i Domenicani ne' tempi tenebroſi del Probabiliſmo per dirigere le „ coſcienze de' Fedeli*. Tutti queſti ſono incontraſtabilmente Antiproba- „ biliſti, come il confermano il Vaſquez, il Sanchez, l' Amico, e comu- „ nemente tutt' i gravi, e rinomati Teologi. Chi ora non vede ad evi- „ denza *l'impoſtura* del P. Ghezzio, e de' ſuoi Eroi De-Camps, e Daniele „ nell' addoſſare *a tutta la Religione Domenicana* il Probabiliſmo, perchè „ i ſuoi Teologi Scolaſtici di un qualche tempo hanno *equivocamente* ſcrit- „ to ſulla controverſia del Probabiliſmo? Quel termine *equivocamente* „ darà faſtidio al P. Ghezzio. *Ma fa uopo, che ſi arrendi all' autorità del „ P. Gonzalez, il quale atteſta, che hanno parlato della minore Probabilità „ OBBJETTIVA, non SUBBJETTIVA.*

III. „ Il P. Ghezzio alla *pag.* 418. oppone un Decreto del Capitolo „ Generale del 1644. de' Predicatori, nel quale ſi dà licenza, e ſi coman-

„ da la ſtampa di tre tomi di Teologia Scolaſtica del P. Idelfonſo. Sopra „ il qual Decreto ſcrive il P. Ghezzio pag. 419. *Voi qui vedete da queſto* „ *Capitolo Generaliſſimo approvata, e dirò così canonizzata la dottrina del* „ *P. Idelfonſo a proporzione*, (udite il P. Ghezzio) come da un Concilio „ Ecumenico verrebbe autenticata la dottrina di un libro, di cui quel „ Concilio comandaſſe la pubblicazione a tutt' i Fedeli. Per tal mo- „ do da quel Capitolo, che vale a dire, da *Tutta* in corpo la Religione „ di S. Domenico, ben può dirſi autenticamente *riconoſciuta, ed appro-* „ *vata la dottrina del Probabile*. Gran flemma ci vuole con queſto P. „ Teologo, che ſi picca di parlare con preciſione Geometrica. Flemma „ dico ci vuole per reprimere non la collera, ma le riſa. Le licenze, „ che ſi danno, o da Generali, o da Capitoli Generali non mai approvano „ il libro; ma ſuppoſta l' approvazione de' Teologi, che la dottrina ſia „ ſana, permettono la ſtampa. Il precetto ſi aggiunge per fare un' onore „ all' Autore. Quella ordinazione fatta ad iſtanza della Provincia di „ Aragona, e gl' intereſſati pel P. Idelfonſo impetrarono il precetto. Ma „ queſte ſono coſe troppo minute. La comparazione del Capitolo Gene- „ rale eſiſtente in Roma, e concedente la licenza di ſtampare un libro Sco- „ laſtico eſiſtente nella Spagna, ad un Concilio Ecumenico, che auten- „ tica la dottrina da inſegnarſi a' Fedeli, ella è veramente degna del Padre „ Ghezzio. Non ci fermiamo di vantaggio per non dir coſa più meritata „ dall' Avverſario, che degna di noi. „

Hæc ex P. Concina non pauca, ut dixi, ſed plura, quam ſtatueram, decerpſi. Et quoniam cœpi ſecus agere, non dubitabo pauca quædam in hujus Concinianæ velitationis confirmationem de meo ſenſu adjicere. Nam mirum eſſe, ac videri nemini debet, quod iis primis temporibus, in quibus Probabiliſmus, teſte P. Vaſquez, *jam in ſcholis*, & *ante* Bartholomæum Medina *communis* erat, Dominicani Theologi, qui id ætatis omnium primi hac de re cogitationes ſuas literis mandavere, minus cautè, minuſque circumſpectè de opinionum probabilitate dixerint, quàm ut poſſint ſequiorum Probabiliſtarum, aut calumniam evadere, aut falſam interpretationem. Didicimus in ipſa Eccleſia, ſingulas quaſque hæreſes proprias intuliſſe quæſtiones, quas Catholici Doctores tractando, diſſerendoque in Scholis diſtinctiùs, explicatiùſque deinceps expedierunt, quam ii, qui ante exortam hæreſim talia ſcribere aggreſſi ſunt. Id quod uſu venit in cæteris quoque controverſiis, quæ verè Theologicæ ſunt, atque inter Catholicos agitantur. Nihil igitur evincunt Probabiliſtæ, quibus cordi eſt, ſocios habere Medinam, Bannez, Alvarez, Joannem a S. Thoma, paucoſq; reliquos Dominicanos ab exorta Probabiliſmi laxitate priores, ſi ſuum in eorum ſcriptis expiſcari, & venari patrocinium conantur. Non enim ſtatim, ac involutam aliquam illius temporis opinionem (veluti illam de Confeſſario Pœnitentis opinioni contra propriam adhærente) a Priſcis illis

ado-

Digitized by Google

adoptatam inveniunt, judicare debent Medinam, Bannez, Joannem a S. Thoma, cæteroſque ut veros Probabiliſtas. Alio quidem ſenſu illi probabilitatem uſurparunt; interdum majorem probabilitatem intrinſecam comparant cum extrinſeca, quam minus probabilem intrinſecè opinantur: interdum ac ſæpe non de *SUBJECTIVA*, ſed de *OBJECTIVA* probabilitate different: interdum, ut verbis utar Hieronymi *lib. 2. adverſ. Ruffin. c.* 17. innocenter quædam, & minus cautè loquuntur, & quæ non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare. Quanquam eos ferè omnes Dominicanos Thomiſtas, quos innuimus, ac reliquos plenè Pater Concina in hiſtoria *Probabiliſmi*, ac in tomo ſecundo *App. ad Theologiam Chriſt.* ab inuſta Probabiliſmi nota perquàm eruditè vindicavit.

Et ais: ſatin' hoc eſt, etiam ſi quis contradixerit? Satis quidem. Acutè namque diſputantis, quod ait Cicero *l. 5. Tuſc. c.* x. n. 28. illud eſt, non quid quiſque dicat, ſed quid cuique dicendum ſit videre. Docuit etiam Ariſtoteles, quolibet ſtulto proferente contraria non decere ſolicitum eſſe ſapientem. Quid? quod in eruendis Doctorum ſententiis, opus eſt diligenter attendere, non modo quid quiſque loquatur, ſed quid rationis tulerit tum etiam quid verba inter Theologos id ætatis referebant? Atque hoc eſt, quod Probabiliſtæ noſtri temporis minimè volunt audire, cum apud Theologos aut adverbium *probabiliter*, aut nomen *probabile* legunt. Confeſtim enim è re ſua eſſe id, quod legunt, interpretantur; cum tamen ſæpè *abſolutam*, & non *relativam* ſcriptores illi probabilitatem indicent. Sed ne quid nimis. Longiùs fortaſſe excurri. Nunc ad inſtitutam contentionem revertamur.

§. VII.

Falſa eſt cauſa, quam Gravinianus auctor prodit, tribuendi Thomiſtis Probabiliſmum paulo ante deſcriptum.

POtiſſimam cauſam ſe prodere ſimulat Gravinianus Probabiliſta; cur *Probabiliſmus* origine Thomiſticus ſit, quia Reverendiſſimi P. Seraphini Cavalli, & Capituli Generalis præceptum typis edendi Commentaria Bartholomæi Medinæ, & Joannis Baptiſtæ Idelphonſi in p. 2. D. Thomæ reperit: quia etiam alios Probabiliſmi aſſertores Thomiſtas recepit. Hinc ratiocinatur: Quidam Dominicani Probabiliſmum docuerunt. Ergo Probabiliſmus *totus quantus eſt*, & origine, & adoleſcentia Dominicanis eſt adſcribendus. Si Gravinianus noſter hoſpitem ſe, & peregrinum præberet in hiſtoria Scriptorum Ord. Prædicatorum, quandam propè juſtam a nobis excuſationis veniam deprecari, & ſupplicare poſſet, cum falſo ratiocinatur. Nunc ſecus accidit. Nam ſe legiſſe, & perveſtigaſſe hiſtoriam hanc fatetur apud PP. Quetif, & Echard, quos vexat, & majorem

 in

Digitized by Google

in modum reprehendit, propterea quod *poſt multas Medinæ laudes* addunt, Medinam Probabiliſmo *rimulam tantum aperuiſſe, & per quam contra ipſius mentem opinionum monſtroſarum torrens Eccleſiam inundavit*. Cur, quæ continenter ſequuntur, cætera, ſurda aure præteriit? At ſi ritè, ac dialecticè ratiocinari vellet, hæc quoque reprehendenda fuiſſent: „ Propterea, inquit P. Echard, utut ſit de Medina malè ex eo ſcholam noſtram arguas, in qua poſt verbum Dei Concilia, & SS. Patres, ſolus „ S. Thomas Magiſter agnoſcitur, & auditur, ceteri verò quantum „ S. Doctoris ſcitis adhærent, ut & in pluribus idem Medina.

Hæc, quæ noſter Probabiliſta animadvertere potuit, & animadvertiſſe mihi non dubium ſit, omnino cauſam illam ſuam infirmam, & nugatoriam oſtendiſſent. Non enim in verba Medinæ, aut Bannez, aut alterius cujuſvis Alumni Ordo Prædicatorum jurat. Neque ſuorum doctrinam tanti facit, ut ſi quis domeſticus aliquam næniam præcinuerit, aut ſanæ, & veræ doctrinæ lineas migraverit, eandem ubivis gentium veluti ex condicto cæteri reſonent. Non id agit Ordo Prædicatorum: neque iſtiuſmodi alumnos congeſtis magna mole libris, tanquam ſanam doctrinam docuerint, ſuſtentat. neque contradictores quaſi in cœlum os poſuerint, qua conviciis, qua cenſuris, quave criminationibus, a veritate patefacienda deterret, nec vi aut minis cogit, ne tale quicquam deinceps audeant.

P. Vincentius Candidus (ut ex multis hoc unum exemplum proferam) Siculus fuit, domeſticus noſter, quin etiam honoris dignitate ſpectabilis ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter. E Probabiliſtarum ſchola laxas opiniones hauſit, adamavit, Ævique ſui præjudiciis occupatus fuit. Ordo Prædicatorum domeſtico non pepercit; interdixit Fratribus ſuis Magiſtri *Candidi* libros prava Probabiliſtarum doctrina conſpurcatos. Patris Echard *tom. 2. de ſcript. Ord. Prædicatorum ad annum* 1654. teſtimonio non utar. libentius teſtem exterum dabo, P. Joſephum *Catalanum* Oratorii S. Hieronymi Præsbyterum, doctrina, eruditione, ac morum probitate clarum in opere inſcripto *de Magiſtro ſacri Palatii lib. 2. c. 59. n. 6. pag. 173. & ſeq.* „ Fatendum verò, inquit, in ſuis diſquiſitionibus moralibus „ Candidum juxta ſui Ævi abuſum laxioribus quibuſdam opinionibus „ ſuffragatum. Sed laudandus ſummopere Ordo Prædicatorum, qui „ numquam propugnat peculiares alumnorum ſuorum ſententias, ubi eas „ non videt ſolidæ, ac probatæ doctrinæ adhærentes. „

Hoc modo Ordo Prædicatorum erga ſuos ſe gerit, nec accipit Perſonas, nec fratres ſuos pretioſiores facit, quam ſanam doctrinam. Quod Probabiliſtæ majorem partem longè ſecus agunt. Turmatim conſpirant, unius licet ſocii, contra quàm fas eſt, comunem cauſam faciunt, tanquam Dii ſpecie humana induti pœnas inexpiabiles a contradictoribus repetunt, ludibriis, dicteriis, cenſoriis ſtigmatibus acrius pungunt, interdum in

ad-

Digitized by Google

adverſarios ſæviunt, hos dilacerant, carpunt, dedecorant. His igitur præjudiciis occupati cum ſint, facilè fuit ſibi ſimiles Thomiſtas Dominicanos exiſtimare, ut unius Medinæ, aut cujuſvis alterius noſtri ſcriptoris Probabiliſmum dicant, ac venditent veluti ſcitum, & doctrinam totius Scholæ Thomiſticæ.

§. VII.

Vera cauſa, cur priſcis Thomiſtis attribuatur Probabiliſmus, eſt, quia prioris ſæculi Probabiliſtæ priſcis Molinianis ſimiles novitatem confitebantur. Juniores Probabiliſtæ juniorum Molinianorum imitatores, ne novitatis cenſuram audiant, ad antiquiores Thomiſtas confugiunt: perinde ac Moliniſtæ nunc ſuam Scientiam mediam antiquam, & Auguſtinianam venditant.

VEra cauſa eadem eſt, ac illa, quæ Molinianos impulit, ut *Scientiam*, quam vocant, *mediam*, Auguſtinianam facerent. At Pater Ludovicus Molina ejus Auctor Auguſtino ignotam fuiſſe fatebatur. Similiter prioris ſeculi Probabiliſtæ uſque ad annum 1656., antiquiores Theologos ſibi adverſos expreſsè dicebant: Probabiliſmum novum inventum eſſe minimè refragabantur. Quo tempore juniores perſpexerunt ſummam ſibi novitatis conflari invidiam, quotquot Thomiſtas licuit ſuam in Societatem vel invitos trahere, tot Probabiliſtas conſecrarunt. Ita arcem Probabiliſmi è ſua ſede, in antiquiorem Scholam Thomiſticam transferre velis, remiſque, & utcumque fieri potuit, contenderunt. Hæc cauſa eſt, cur Thomiſtica Schola, ceu fons extiterit & parens Probabiliſmi malè nunc audiat. Hæc cauſa, cur a Probabiliſtis doctior illa antiqua Dominicanorum Schola putetur. Hæc cauſa, cur vicem noſtram dolere ſimulent, quod vetuſtum doctrinæ ſplendorem amiſerimus. Rem dico non a me inventam, ſed jam pridem Patri Palanco non vulgari Ordinis Minimorum Theologo planè compertam *tract. de Conſc. quæſt.* 29. *art.* 4. *n.* 189. *pag.* 122.

Sed præſtat locum ipſum P. Palanci exſcribere: „ Antequam, inquit, inſurgerent Theologi RR., qui Probabiliſmo noviter invecto bellum indicerent, uſus non erat Probabiliſtis pro ſententia ſua Theologos, aut Summiſtas antiquos allegare; immo contra ſuam ſententiam, de minori probabilitate ſequenda in conſpectu probabilioris contradicentis, ingenuè citabant *S. Antoninum*, *Sylveſtrum*, *Cajetanum*, *Conradum*, *Cordubam*, *Adrianum*, *Armillam*, *Sotum*, *Navarrum*, *Gabrielem*, *Majorem*, *Comitolum*, & alios, ut videre eſt apud Joannem Sanchez in *Selectis diſp.* 41. Caſtropalaum *Tom.* 1. *de Conſc. opin. diſp.*

„ 11.

„ 11. Dianam *Tom.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 1., & alios. Attamen poſtquam „ Deo, ut exiſtimo, inſpirante, cœperunt noſtri ſæculi Theologi *vehementius invehi* in illam *novitatem*, Antiquorum Theologorum auctoritatem contra magnum Caſuiſtarum numerum. & RR. Theologorum „ in dies exurgentium catalogum in ſubſidium ſibi aſciſcere, videntes „ *Probabiliſtæ* novitatem jure debere antiquitati cedere, cœperunt contentiosè antiquitatem nobilem Theologorum in ſui favorem compellere. Factumque eſt, ut Authores, quos antea ingenuè pro noſtra ſententia citabant, in poſterum pro ſua jam contra noſtram militare contendant: adeo ut neminem ex antiquis noſtræ, omnes ſuæ parti faviſſe decertent. Quod in ſpeciem contigit in doctrina illa, rationeque conciliandi noſtram libertatem cum divina gratia, & prædeſtinatione, quam „ uti *noviter a ſe inventam* introduxit Molina, & primi ejus Auctores; „ in poſterum autem ejus ſectatores eam antiquam, & Auguſtinianam „ eſſe contendunt. Idem & aliis quibuslibet doctrinis de novo inductis ſæpe contigit. In quibus unum mihi certiſſimum eſt, eas noſtris „ ſæculis minimè traditas fuiſſe, quia antiquas, quia ex Patribus, & antiquis Theologis erutas: alias primi ejus Auctores id allegaſſent; ſed „ e contra ſectatores illarum, ut ſemel jam traditas tuerentur, curaſſe „ auctoritatem Antiquorum eis doctrinis accommodare, & attemperare. „

Ac Patris Palanci locus tantus eſt. Quæ Pater Concina *in Tom.* 2. *Appar. ad Theol. lib.* 3. *diſſer.* 4. *c.* 2. *n.*6. adjicit, audiamus: „ Primus, qui poſt integrum ferè ſæculum ſubfurari antiquorum Theologorum ſuffragia aggreſſus eſt, fuit celebris P. Antonius Terillus, qui ad „ hoc quod attinet, nullius ſanè eſt auctoritatis, quia incredibiles, & „ putidiſſimas fabellas divendit, ut manifeſtas veritates. Tanta Auctor „ iſte libertate, auſuque pro ſe allegat SS. Thomam, Bonaventuram, Scotum, Antoninum, ceteroſque omnes antiquos, quanta citat Dianam, „ Tamburinum, Sanchez, & Vaſquez. Probabiliſtæ Recentiores, ut La-Croix, Viva, Caſnedus, ceterique Terillum, ceu Principem Probabiliſmi reflexi, ſequuntur, ejuſque dictis ſummam adhibent fidem. „ Quamobrem nos pluribus evincemus, nullam ſibi Terillum mereri fidem „ in iis, quæ hiſtoriam ſpectant; illius verò argumentationes mera eſſe „ ſophiſmata, cavillationeſque apertiſſimas &c. „ Et de Concina quidem hactenus.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Probabiliſmi Reflexi, ſeu Scholaſtici verus Auctor, Doctor, Inventor, & Parens habendus eſt P. Antonius Terillus ingenioſus Societ. Jeſu Theologus. Hic prope annum 1660. SCIENTIAM MEDIAM PROBABILISTICAM invexit: quæ mirabilior eſt Scientiâ Mediâ Moliniſticâ. Hunc Probabiliſmum Gravinianus Auctor, & juniores Probabiliſtæ colunt, ac totis lacertis propugnant.

EMerſi è vadis, & ſcopulos prætervecta oratio mea eſt. Probabiliſmi namque calumnia procul depulſa à cervicibus noſtris, atque ab omni Schola Thomiſtica, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Principio autem Lectorem meum admonitum eſſe volo, non eam me ſuſcipere cauſam, ut Bartholomæum Medina, aut alium quemvis Dominicanæ Familiæ Theologum ab omni Probabiliſmi nota liberem. Tametſi enim multi id conentur, nec fruſtra quidem: mihi illud inſtitutum hoc loco non eſt: tantum id ago Probabiliſmi Scholaſtici Graviniani, hoc eſt Probabiliſmi reflexi inventum, quo Probabiliſta noſter tutò, & animosè utitur, prorſus fugiſſe & aures, & calamum omnium Dominicanorum, ut ne unus quidem Thomiſta O. P. ante P. Terillum extiterit, cui hujus *reflexi* commentum acciderit. Qui hoc intelligi poteſt? Quia hæc reflexa probabilitas auctore P. Terillo eſt *myſterium impervium* Thomiſtis. Quia Thomiſtarum nemo auſus eſt, duplicem legem Dei æternam, ad quam omnis moralis honeſtas debet conformari, quarum una ſit directa, ſeu per ſe lex, altera reflexa, ſeu per accidens, excogitare. Quia omnes Thomiſtæ Ordinis Prædicatorum ſemper abhorruerunt omnem, & qualemcumque ſcientiam mediam. Porro Scholaſticus hic Probabiliſmus, ſeu reflexa hæc Dei lex æterna, nihil eſt aliud approbante, & confitente P. Claudio La Croix *lib.* 1. *n.*339. quam ſcientia quædam media, mirabilior quidem illa priori Moliniſtica.

Eleganter poſt Palancum P. Concina *tom.*2.*in Appar.ad Theol.lib.*3.*diſſ.* 8.*c.*6.*n.*5.*& cap.ſeq.*VII.comparationem exornavit:,,Siquidem,inquit,ſcien-
,, tia media *Moliniſtica* excogitata fuit ad conciliandam libertatem creatam
,, cum efficacitate divinæ gratiæ; ſcientia media *probabiliſtica* inventa eſt,
,, ut opera natura ſua prava conformentur cum æterna Dei lege. Scientia
,, media *Moliniſtica* attemperat omnipotentiam divinam indifferentiæ li-
,, bertatis creatæ; ſcientia media *probabiliſtica* attemperat legem æter-
,, nam conſequentem errori invincibili, mendaciis, & perjuriis. Scientia
,, media *Moliniſtica* prævidet,quid operaturus erit Petrus in tali ſerie cir-
,, cumſtantiarum collocatus, & auxilio verſatili, ſeu natura ſua indiffe-

,, ren-

„ renti munitus; ſcientia media *probabiliſtica* prævidet Petri mendacia
„ furta, perjuria, ignorantiæ invincibilis caligine obtecta; tum eveſtigio
„ legem conſequentem condit, cui ejuſmodi materialia ſcelera confor-
„ mentur, & meritoria, æternoque præmio digna evadant. Hæc ſcientia
„ media *probabiliſtica* attemperat legem ſuam ſecundariam errori invin-
„ cibili. Clamat Propheta Regius: *Lex tua veritas*. Veritas, & error mu-
„ tuo pugnant; ſed arbitro Probabiliſmo veritas attemperatur errori, ſi-
„ mulque connubia ineunt; & juxta P. Caſnedi Deus *errorem inculpatum*
„ *coæquat veritati:* Plura dicerem, niſi vererer, ne ſatyram me ſcribere
„ adverſarii vociferarentur. Verum ſi quod ſatyræ hic redolet, totum
„ Terillo, La-Croix, Caſnedo, aliiſque Reflexiſtis verti jure debet.
„ Nihil quippe de noſtro adjecimus, ſed illorum doctrinam vividis colo-
„ ribus depinximus. „

Si plura cupis, Lector, ut dignoſcas, Probabiliſtas omnes ante Terillum latuiſſe hunc a Graviniano Probabiliſta Dominicanis Theologis affictum Scholaſticum, ſeu Reflexum Probabiliſmum, adito Hiſtoriam ejuſdem P. Concina *Tom.* 2. *diſſer.* 3. *c.* 5. §. 8. *a num.* 5. *& ſeqq. pag.* 93. Quo loco diſces aliam illos Probabiliſtas viam injiſſe, ac tenuiſſe, ut nodum *Conſcientiæ erroneæ* ſolverent: Legem Dei æternam, directam, & reflexam, per ſe, & per accidens, antecedentem, & conſequentem, ne auditam quidem habuiſſe. Sed quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent.

Quid autem apertiùs, quam larvatum P. Gravinam probabiliſmum ſuum reflexum hac duplici lege Dei æterna locupletaſſe, quin etiam mirabili illi ſcientiæ mediæ probabiliſticæ adhæſiſſe, quam P. La-Croix mirificè extollit? Raro Terillum ſuum laudat; intelligo. Utatur, ut libet P. De-Camps inſtitutis. Tergiverſari tamen nullo modo poteſt, quin *ſecuritatem* conſcientiæ in uſu Probabiliſmi non ab alio fonte, & ipſe, perinde ac juniores Probabiliſtæ reliqui derivarint, quam ab *judicio reflexo* Terilliano. Niſi verbis certare velit, non rebus, ac ſententiis, locus eſt apertus *in p. p. Apologetici n.* 32. *& ſeq. pag.* 65. Sed piget tranſcribere, ne lectori ſtomachum moveam. Adeo multis, ut in ceteris fere, eſt involutus exoticis, & quiſquiliis; quod forte loquacitati *Dialogiſtarum*, ſi benignus lector annuet, concedendum eſt.

Verum ut quivis intelligat, Probabiliſmum hunc Gravinianum ipſiſſimam profiteri P. Terilli doctrinam, perpauca exſcribo: „ Queſto Giu-
„ dicio Riſleſſo non è fluttuante; non à per oggetto una materia ondeg-
„ giante. Rimira l'oggetto *lecito riſpetto a me*; e queſto Giudizio è cer-
„ to, perchè l'è certo, che ogni umano Giudizio ad eſſer prudente, baſta
„ che ſi regoli da una probabile opinione . . . . . Di fatto non v' è Pro-
„ babilioriſta, che nieghi lecita l' azione fatta ſotto la meno probabile;
„ ſe queſta reſti veramente probabile a fronte della più probabile . . . .

„ On-

Digitized by Google

„ Onde il Probabiliſta benchè vi accordi, che due Giudizj diretti ſul le- „ cito in ſe ſieno amendue probabili; non mai vi accorderà, che due giu- „ dizj rifleſſi uno ſuo, l'altro dell'Antiprobabiliſta ſieno amendue proba- „ bili. E la ragione ſi è; perchè il Probabiliſta difende, come certo il ſuo „ Giudizio rifleſſo; or eſſendo veriſſimo, che contra *Certum non eſt Pro- „ babile*, ne viene in ſeguito, che il Giudizio dell'Antiprobabiliſta, che „ l'è contra di queſto, tenuto certo, non può tenerſi probabile da chi tien „ quello per certo. „ Mox exemplum profert, quod potius directum, quam reflexum perhibeat judicium. Nam ex M. Tullio Cic. *lib.* I. *de Invent.* exempli loco arripit illam opinionem: *Si mater eſt, diligit filium.* Quæ ſanè opinio ad judicium directum pertinet. Deinde hæc opinio eſt abſolutè probabilis; non enim habet contrariam rationem, a qua labefactetur. Et ait benignus Probabiliſta *in cit. n.* 33. *pag.* 68. „ Ma sù via fingiamo un caſo poſſibile, che la madre ſia nimica del figlio. Che però? „ Sempre ſarà vero l'argomento rifleſſo: E' ella madre; dunque prudentemente và giudicato, che ami il figlio. . . . Ecco il vero rifleſſo, che „ quella opinione ſia prudente ſe certamente, e ſodamente probabile. Oh „ che verità luminoſe. „ Lumen hoc Gravinianum, neque ipſi, qui hæc ſcribit, neque lectori lucet. Quot verba, tot portenta, ne dicam monſtra. Sed ab inſtituto deflecterem, ſi illa vellem in examen revocare, ac falſa, quæ ſumit, quibuſque ſecum contra ſe pugnat, oſtendere. Illud eſt hujus loci, Probabiliſmum hunc reflexum, quod pertinet ad naturam, & ſcopum, totum eſſe Terillianum.

Primum confer proximè poſitam judicii reflexi *tendentiam*, ut Gravinianus loquitur, cum Terilliana ipſa propoſitione, quæ nunc per ora omnium Probabiliſtarum volitat. „ *Omnis doctrina*, inquit P. Terillus *de Conſc. q.* 23. *n.* 133. *certo probabilis*, *etiam in contradictione partis oppoſitæ probabilitatis*, *eſt doctrina certo prudens*. Ut perſpicuè vides, hæc propoſitio Terilliana, eadem eſt, ac illa Graviniana, qua *Judicii Reflexi* tendentiam deſcripſit *in cit. n.* 33. *pag.* 66. „ Queſta opinione, „ come certamente, e ſodamente probabile è fondamento ad operare con „ prudenza. „

Quam propoſitionem P. Terillus, ne ipſa per ſe rueret, cogitavit tribus vallis communire; quæ ſunt tria Principia probabiliſtica: I. *Poſſeſſio libertatis adverſus legem*: II. *Lex dubia non eſt lex*: III. *Lex æterna per ſe ſeu directa*, & *lex per accidens ſeu reflexa*. Et Probabiliſta noſter Terilli veſtigia, ac juniorum Probabiliſtarum chimeras inſiſtens duo priora cùm in Dialogis paſſim, tum in 3. *p. Apolog. c.* 9. *pag.* 34. & *ſeq. articulo* 2. *n.* 779. & *ſeqq.* fusè, latèque tractat. Quam aptè gnaviterque non diſputo: Lectoris eſto judicium. Tertium autem principium veritus eſt hoc in volumine apertius edicere. Iis contentus, quæ de judicio reflexo hoc loco utcumque ſermocinatus eſt. Sed his rebus ita expoſitis efficitur

H Pro-

Digitized by Google

Probabiliſmum Scholaſticum ſeu reflexum, quem Gravinianus, ſeu verius Anti-Dominicanus Probabiliſta nobis affingere conabatur, purum eſſe, ac genuinum illum Probabiliſmum, quem a P. Terillo acceptum juniores Probabiliſtæ ſuas in Scholas celebrandum, educandumque traduxerunt.

Nunc eo loco locati ſumus, unde nullo negotio proſpicere poſſimus certiſſimum parentem, effectoremque Probabiliſmi reflexi. Quem ego locum dum tibi lector, tanquam ad fontem intento digito ſimpliciter oſtendo, nolim me putes acta agere. Quæ Pater Daniel Concina *tom.* 2. *Appar. ad Theol. lib.* 3. *diſſer.* 2. *c.* 3. *n.* 1. verè tradit, ante oculos tibi proponam: „ Princeps Probabiliſmi reflexi, inquit P. Daniel Concina, celebris hujus temporis Probabiliſmi hiſtoriæ Scriptor „ eſt P. Antonius „ Terillus, vir ſanè acuti ingenii, qui in hac illuſtranda ſparta diu adla-„ boravit, duoſque Tomos edidit. Animadvertit perdoctus Theologus, „ paradoxon eſſe, quod opinio minus probabilis in conflictu probabilio-„ ris ſit gravi fundamento nixa, & quod *irreprehenſibiliter* intellectus „ eam amplecti valeat, illo ipſo momento, quo contrariam probabilio-„ rem, & ſæpius veram reputat. Auctores Probabiliſmi Directi ſub ini-„ tium ortæ diſputationis id propugnabant. Omnia quippe rerum ab „ humana mente confictarum initia infirma ſunt, & exilia. Laudatus Te-„ rillus, cum acrius ferveret diſſidium, vidit Probabiliſmum hunc infor-„ mem, & directum haud poſſe conſiſtere. Dicitur directus ..... quia „ intellectus judicio immediato decidit e. g. hunc contractum eſſe inju-„ ſtum ſecundum opinionem, quæ ſibi probabilior, & ſæpe vera apparet; „ juſtum verò ſecundum aliorum opinionem, quam minus probabilem „ putat. Durum porro viſum fuit propugnare, poſſe hominem agere con-„ tra propriam conſcientiam directam: idcirco excogitarunt Probabiliſ-„ mum reflexum, quo ſuſpendatur prius judicium directum, & loco il-„ lius hoc aliud ſubſtituatur, tali ſyllogiſmo partum. *Opinio quam do-„ cent quatuor, aut quinque Theologi, probabilis eſt. Hanc* docent plures „ *Theologi. Ergo probabilis*. Ut autem penitus prius judicium depona-„ tur, abſtrahere intellectum debes a probabilioris ſententiæ conſideratio-„ ne, & compreſſis ciliis, luci oculos occludere.

„ Ne quid per exaggerationem dictum ſuſpiceris verba Terilli exſcri-„ bo: *In rebus obſcuris unuſquiſque ſuſpendere poteſt judicium nulli parti „ affixum. Ergo, licet peccatum eſſet agere contra propriam ſententiam actu „ exiſtentem, facillimum eſſet ſe a peccati periculo eximere, quia ſuſpendendo „ actuale judicium de veritate objecti, quod habitualiter habetur pro vero, „ formari poſſet conſcientia per principia reflexa de abſoluta ejus honeſta-„ te: atque ita poſſet operans a peccato excuſari. tract. de Conſc. probab. „ q.* 30. *pag.* 595.

Quam aleam ſubierit hic reflexus Probabiliſmus cum primum a Patre Terillo in publicam lucem e ſuis tenebris eductus fuit, ex iis facilè conjicies,

Digitized by Google

jicies, quæ data opera doctiſſimus P. Michael Elizalde pius æque, ac illuſtris Jeſuita ſcripſit in prima ſui de *reg. mor.* parte, quam ſub aſcriptitio *Antonii Celladei* nomine ſeorſim edidit. Acri ſtylo in Celladeum, ſeu P. Elizalde Terillus excanduit ſpiſſiori volumine in folio edito Leodii anno 1677. Cardinalis Pallavicinus Patrem Elizalde excitavit ad hunc convellendum Probabiliſmum, & ut confutaret, quod ipſe ſcripſerat ſtimulos adjecit. „ Gloriæ mihi vertam, & honori, inquit Cardinalis *in volum. epiſt. edit. Venet.* 1701. *pag.* 72. „ ſi nomen meum inſculptum videro „ marmoribus adeo pretioſis, adeo ſolidis, adeo duraturis. Quin alicu„ jus meriti me participem fore ſpero, quod edendum opus, adeo legi di„ vinæ ſervandæ, promovendæque perutile, votis meis probaverim. „

Admonet me locus, ut Gravinianum Probabiliſtam in illud examen vocem, quo Cardinalem Pallavicinum putavit Probabiliſmo ſuo adhæſiſſe. Adhæſit quidem, ſed deinceps a P. Elizalde ad aſpiciendam veritatem ſanæ doctrinæ revocatus Probabiliſmo nuntium remiſit, ac ea probavit, quæ Pater Elizalde in libro Celladei contra Terillum demonſtravit. Id quod P. idem Elizalde teſtatur *in quæſt. un. ad Logicam Moyæ* §. 4. „ *Po„ ſtremo*, inquit de Cardinali Pallavicino, *legit librum Celladei, & in ve„ ritate maximè firmatus fuit*. „ Aliud luculentius teſtimonium perhibet P. Nicolaus Pallavicino Soc. Jeſu de eodem Cardinali, quem anno ante mortem dixiſſe docet „ ſibi eſſe fixum relinquere poſt ſe ſcriptu„ ram, in qua retractare intendebat ea, quæ ſcripſerat in libro de actibus „ humanis, nempe poſſe quempiam practicè ſequi opinionem *minus pro„ babilem, & minus tutam relicta Probabiliore. Imo ſibi fixum omnino eſ„ ſe, unumquemque teneri ſequi ſententiam illam, quam putat eſſe veram, „ neque poſſe ullatenus conformari ſententiæ, quam putat eſſe falſam. Hæc „ olim P. Nicolao Pallavicino affirmabat Cardinalis Sfortia*. „ Id quod eveniſſe anno 1667. P. Concina aliis pluribus in hanc rem adductis enarrat *in tom.* 1. *Hiſtor. diſſer.* 1. *c.*4. *n.* VII. *pag.* 51. Sed manum de tabula. Nam de Auctore, & Procreatore Probabiliſmi Reflexi hæc attigiſſe ſufficiat. Ex multis quæ P. Concina idem recenſet hujus Probabiliſmi abſurdis, perpauca, quæ Graviniani Probabiliſtæ advocationem adhuc expectant, cetera alio tempore patefacturus indicabo.

Digitized by Google

§. IX.

CONSECTARIUM I.

Probabiliſmus reflexus, ſeu Scholaſticus, quem vocat Auctor Gravinianus, hominem adverſus Deum litigantem ſuper libertatis poſſeſſione facit.

NE acta agam, argumenta habes apud P. Concina *in tom.* 2. *Appar. ad Theolog. lib.* 3. *diſſer.* 8. *cap.* 2. Tum nos jure reprehendes, ſi ea, quæ contra dixeris, oſtendent hominem quid habere, quod non a Deo acceperit, quodque alienum ſit ab ejus ſuprema lege, & poſſeſſione. Itane? Legibus civilibus, aliiſque humanis contra Deum cauſam inſtituis, ut jura, & poſſeſſionem libertatis tuæ propugnes? (*a*) Actor tumetipſe es, Reus eſt Deus: quinam Judex, ac vindex hujus, quam poſſides contra Deum libertatis? Erige Tribunal aliquod Gravinianum, & Judicem pro arbitrio inſtitue. Mihi libet illud P. Ignatii Camargo (*b*) contra Terillum exclamare: *O Deus meus, Magiſter meus! Hæc eſt doctrina illa, quam niſi tu docuiſſes Eccleſiam, illam per unum ſeculum deſeruiſſes. Ita jam docetur hodie, & auditur, & creditur ab innumeris. O tempora noſtra infelicia?*

§. X.

CONSECTARIUM II.

Si lex dubia, lex nulla: exulent ergo ab orbe Catholico Juriſconſultorum Tribunalia, exulent ſcholæ Theologorum, exulet ſacrarum legum, & ambiguorum Judex, & Interpres.

NOn id præcipit Deus, cum conſulere, & adire in rebus dubiis ſummum Sacerdotem præcipit, ut diſcamus dumtaxat, ſit necne lex: ſed præterea, ut audiamus, ſit ne tale opus a lege vetitum. *Si difficile*, inquit Deuteronom. 17. *& ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris: inter ſanguinem, & ſanguinem; cauſam, & cauſam; lepram, & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari: Surge ..... venieſque ad Sacerdotes ..... & ad Judicem &c.* Quando ergo Theologorum verba ſeu opiniones variari contigerit, nihil opus eſſet, audire Sacerdotem, ac In-

(*a*) *In Apolog.* 3. *p. n.* 780. *pag.* 342. *& ſeqq. & alibi in p. p. ejuſd. Apolog.*

(*b*) P. Camargo *lib.* 1, *controverſ.* 10. *ar.* 1. §. 1, *n.* 8. *pag.* 128.

Digitized by Google

Interpretem ſacrarum legum ; quem Deus conſtituit finiendis morum controverſijs; quin etiam ſi Sacerdos cauſam dubiam finiet, ſupervacaneum quid ageret; cum certum ſit illud, *LEX DUBIA*, *LEX NULLA*.

Præclare Pater Concina *in cit.diſſer.8.c.3.§.4.n.8,pag.555.*,, Audi,inquit ,, & perhorreſce . Ut Chriſtiani impoſterum jugum plurimarum le- ,, gum tum naturalium , tum divinarum , atque humanarum penitùs ex- ,, cutiant, accipiant ſummam Dianæ , Eſcobarii , Tamburini , Caramue- ,, lis . Colligant elenchum controverſiarum in utramque partem probabi- ,, liter diſputabilium . Poſt ex PP. Terillo , La-Croix , Caſnedi , cete- ,, riſque Probabiliſtis hanc eruant concluſionem . Omnes opiniones , quæ ,, favent libertati , veræ ſunt , & contrariæ falſæ . Eccur hoc ? quod leges ,, controverſæ , quæ jura libertatis coercent , leges non ſunt . Si leges ,, non ſunt: ergo liberi homines ſunt. ,, Ajunt Probabiliſtæ:Si legislator voluiſſet id expreſſiſſet. Non expreſſit, Ergo noluit . Quid ſequitur? Attende: Ergo ut nullæ ſint leges, ſat erit,ſi in dubium vocentur.

§. XI.

CONSECTARIUM III.

Ergo Juniores Probabiliſtæ , quos inter Gravinianus , tot inflagitia materialiter ſaltem , ut ſcholæ loquuntur (nam intentionem ſalvam volo) incidant neceſſe eſt , quot approbanda offeruntur ex probabiliſſmi reflexi praxi horrida abſurda.

ATtende pauliſper Graviniane Probabiliſta , & cogitationem ſobrii ad punctum temporis ſuſcipe : Recole etiam *judicium* illud tuum *reflexum*, de quo in §.VIII. dicebamus.

I.

Primum Abſurdum novitatis eſt , ac temeritatis : Ecquæ cauſa hujus judicii reflexi , ſeu potius hujus legis Dei æternæ reflexæ ? Tu occuluiſti ſecundum , ut ſtatueres primum . Taces enim legem Dei reflexam , ne quicquam novi a te dictum capiamus. Opinor: quia tibi recepiſti judicium reflexum a lege Dei reflexa divelli non poſſe . Nulla enim bonitas moralis humani judicii conſiſtit,quam non metiatur legis Dei æternæ regula.Sit hæc tua ſapientia, quam nos latere conaris. Judicium ergo reflexum imago quædam eſt reflexæ legis Dei æternæ. Nunc id volo me doceas, æcquæ cauſa eſt hujus novitatis? Nulla omnino niſi portentoſum cerebrum, & temeritas Patris Terilli . ex hoc ſolo capite hujus Probabiliſmi reflexi myſterium emergit , inauditum quidem , & a ſeculis abſconditum . Totum enim humanum eſt , Terillianum eſt , temere excogitatum eſt ; ne Probabiliſmus is

ruat,

ruat, qui tam mirificè, tamque amico fœdere jura charitatis jungit cum regno cupiditatis. „ Planè, inquit perdoctus Jeſuita P. Ignatius Camargo *lib.* 1. *controv.* x. *ar.* 1. §. 2. *n.* 11. *pag.* 229. „ *Modernis Probabiliſtis* „ id ipſum contigiſſe videtur, quod ſolet perhiberi de ſimia, quæ fœtum „ ipſa tenellum ſuum præ nimio, quo deperit amore ſtrictiùs amplexando „ præfocat. Prodat Terillus nobis, aut recentior alius pro ipſo, vel „ unum ſaltem antiquum, aut modernum clari, aut obſcuri nominis „ Theologum, qui memoratam legem exiſtentem in Deo non dico expreſ- „ ſerit, vel affirmaverit, ſed vel leviter quidem aliquando meminerit. „ Porrò Terillus ipſe nullum omnino protulit: in quo laudanda quidem „ hominis ingenuitas, ſed animoſitas, ut leviſſime dixero, ſupra modum „ plane miranda. Ecquis enim non merito formidaret in re tanti momenti, „ tantoque periculo plena, *primus, ac ſine duce viam ingredi novam*, & quæ „ nullius antea fuiſſet temerata veſtigio? „

II.

Secundum Abſurdum: Certiſſimas leges, Pontificias in primis, ope reflexi judicii, ſeu legis Dei æternæ reflexæ eludere. O ſtupendam Probabiliſtarum Theologiam! Putes me *entia Rationis*, aut *Ideas Platonicas* fingere. Dabo factum Terillianum. Clamat Rom. P. Alex. VII. in Decreto die 24. Septembris 1665. edito: „ *ſummam illam luxuriantium in-* „ *geniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad con-* „ *ſcientiam pertinentibus MODUS OPINANDI irrepſit, alienus o-* „ *mnino ab evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, ET* „ *QUEM SI PRO RECTA REGULA FIDELES IN PRAXI* „ *SEQUERENTUR; ingens eruptura eſſet chriſtianæ vitæ corruptela.* „ Hoc eſt illud flagitium, cujus cauſa Apoſtolica Sedes clamat. Jam verò: quem ad finem? quam rationem iſthuc perveniendi Papa ſibi propoſuit? „ *ne .... viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus .... arctam eſſe defini-* „ *vit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret.* *Rurſus*: „ *ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam* „ *itur ad perditionem via ..... in rectam ſemitam evocaret.* „ Hæc ratio, hic ſcopus Pontificii clamoris.

Inchoatum hoc opus ab Alex. VII. proſecutus eſt etiam Innocentius XI. duplici edito decreto. Primum anno 1679., quo „ *in ſegregandis no-* „ *xiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis plurimas propoſitiones confixit.* „ Alterum anno 1680. die 26. Junii, quo copiam fecit P. Tyrſo Gonzalez Soc. Jeſu „ *ut ipſe liberè, & intrepidè prædicet, doceat, & calamo defendat* „ *opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet ſententiam aſ-* „ *ſerentium licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu pro-* „ *babilioris ſic cognitæ; & judicatæ.*

Quin

Digitized by Google

Quin etiam hoc decreto mandavit pariter Generali Societatis Jeſu, „ *ne ullo modo permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione minus* „ *probabili*, & *impugnare ſententiam aſſerentium* licitum non eſſe ſequi „ opinionem minus probabilem in concurſu *magis probabilis* ſic cognitæ, „ & judicatæ; verum etiam relate ad omnes Univerſitates Societatis Jeſu „ mentem Sanctitatis ſuæ eſſe, ut quilibet pro ſui libito liberè ſcribat pro „ opinione *magis probabili*, & impugnet contrariam prædictam, eiſque „ *jubeat*, ut *mandato* Sanctitatis ſuæ omnino ſe ſubmittant.

„ Die 8. Julii 1680.

„ Intimato prædicto ordine Sanctitatis ſuæ P. Generali Societatis „ Jeſu per R. P. D. Aſſeſſorem, reſpondit, ſe in omnibus quanto citius „ pariturum; licet nec per ipſum, nec per ſuos præceſſores fuerit un„ quam interdictum ſcribere pro opinione magis probabili, eamque do„ cere. „

Quotuſquiſque rationis particeps his decretis Pontificiis non intelligit, apertiſſimè improbatum fuiſſe Probabiliſmum, ac morem, & modum opinandi, quem etiamnum nimis præfractè, ac impavidè ſervat tota Schola Probabiliſtarum? At quibus auxiliis? quibus exceptionibus? Iis procul omni dubio quibus Princeps, & parens reflexi Probabiliſmi ſe ipſum tutatus eſt contra illud Alexandri VII. decretum, quod primo loco attulimus. Scilicet Pater Terillus opponens ſibi hoc Alexandri decretum inter plura effugia, quæ parat, ad *reflexum* confugit *judicium*. Nam *de regul. mor. par.* 1. *q.* 8. *n.* 25. ſic ait: „ Reſpondeo in primis nil horum ad „ intentum facere. Quia querelæ illæ (Alexandri nimirum VII.) ſolum „ impetunt doctrinas *directas* nimis laxas; de *reflexa* mentionem non „ faciunt, ut conſtat ex dictis. „ Et alio loco nempe *num.* 22. „ Hic, inquit, „ ſolum quæritur quid de doctrina reflexa Alexander ſenſerit, & „ an illius extirpationi ſtuduerit. De qua quæſtione ex generali illa ex„ hortatione nil inferri poteſt, niſi aliunde probetur, Alexandrum exiſti„ maſſe doctrinam reflexam de licito probabilium uſu eſſe nimis laxam. „ Verum hoc nec ex dicta illa adhortatione, nec aliunde probari po„ teſt. „ Et *num.* 23. „ Alexander ergo non injunxit Generali Prædica„ torum curam exterminandi doctrinam communem reflexam; ſed ſolum „ ſollicitus fuit de doctrinis *directis* nimis laxis. „

Hæc Terilli verba ſunt, quibus ope Probabiliſmi reflexi eludere conatur, decretum Alexandri VII. reprehendens eum opinandi modum, qui eſt ab evangelica ſimplicitate, & a SS. Patrum doctrina alienus. Quid vafrius, quid callidiùs, quid magis abſonum, & abſurdum excogitari poteſt? Si Pontifex exterminandam ſtatuit doctrinam directam Probabiliſmi: ubinam conſiſtet reflexa? quo hæc ſe recipiet? quidnam obtinebit illâ directâ ſublatâ? Deinde an ſimpliciùs quicquam, & ſinceritati evangelicæ conformiùs doctrina hæc reflexa præ illa directa perhibere

vide-

Digitized by Google

videbitur? Oſtendat P. Terillus, oſtendat Gravinianus Probabiliſta, ſi quod habent SS. Patrum teſtimonium. Myſterium Reflexum in eo eſt poſitum, ut ſi minus probabile cum probabiliori comparetur, ne incertum ſit, & minimè ſecurum dictamen practicum conſcientiæ, ſuſpendatur aſſenſus mentis, aut certe abducatur a cogitatione contrariæ partis probabilioris. Tum verò ope illius propoſitionis, quod eſt Terillianum principium omnium maximum = *Omnis doctrina certo probabilis eſt certo prudens* = „ Queſta opinione (verba ſunt Graviniana *in p.p. Apol. n.* 33. *pag.* 36.) „ come certamente, e ſodamente probabile è fondamento ad operar „ con prudenza: „ Aſſumunt aliam propoſitionem: = *Sed opinio minus probabilis de hoc contractu uſuræ, aut ſimoniæ vitio ſuſpecto etiam in conſpectu probabilioris eſt certo probabilis.* = Ex his duobus argumentatione colligunt = *Ergo eſt doctrina in praxi certo prudens.* = Doctrina probabiliſtica directa eſt in ſecunda propoſitione, contra quam clamant Alex. VII. Inn. XI. Hæc ſecunda propoſitio nudè, & ſimpliciter accepta aliena eſt ab evangelica ſimplicitate; quia dictamen rationis manet adhuc dubium, & anceps. Adjungatur illi reflexæ: = *Omnis doctrina certo probabilis eſt doctrina certo prudens*: = tum confeſtim quaſi in arce totius Probabiliſmi reflexi conſtituta induit firmam, & ſolidam ſecuritatem, fitque opus virtuoſæ prudentiæ, ac Probabiliſtam commutat, efficitque Probabilioriſtam.

Vis audire totius hujus metamorphoſis cauſam? Ecce tibi Terillus tum *de regulis mor.* tum *de Conſc. prob.* „ Revocandum eſt, inquit, in „ memoriam diſcrimen inter legem æternam, quæ talis eſt per ſe, & quæ „ talis eſt per accidens. „ Opinio minus probabilis directè ſpectata pugnat cum lege æterna per ſe; ſed hæc eadem opinio aſſumpta ſub principio reflexo evadit conformis legi æternæ per accidens, atque hanc in rationem mutatur, & fit etiam probabilior.

Hoc eſt myſterium Terillianum probabiliſticum. Hoc inquam illud myſterium, quod Gravinianus Probabiliſta ſub integumento judicii reflexi clam nos eſſe voluit; hoc demum eſt illud myſterium auctore Terillo eodem, Antiprobabiliſtis impervium. Reddam ejus verba *ex tract. de conſc. probab. quæſt.* 28. *n.* 14. *pag.* 558. „ Certum eſt omnem opinionem di„ rectè probabilem ita roborari per argumenta reflexa, benignæ ſententiæ „ faventia, ut ejus honeſtas, & ſi directè minus probabilis, omnibus con„ ſideratis *ſit longe probabilior* ejuſdem in honeſtate. Itaque re ipſa ſem„ per docemus honeſtatem tantum probabiliorem eſſe regulam actionis „ bonæ. *Adverſarii autem qui non dum intellexerunt hoc myſterium, ae„ rem verberant, dum minorem probabilitatem obtrudunt; quaſi vero nos „ probabilitatem nec directè, nec indirectè majorem requireremus pro magis „ propinqua regula conſcientiæ.* Verum errant, cum expreſsè doceamus „ contrarium. „

Vi-

Digitized by Google

Vide nunc lector Juniorum Probabiliſtarum Principem Terillum, quot ſe abſurdis impediat, ut reflexum principium ſtatuat. Non abhorret fieri, & dici Probabilioriſta: quin etiam majorem probabilitatem figere ſe dicit pro regula magis propinqua conſcientiæ. Atque hoc myſterium totum perficitur beneficio probabilitatis indirectæ, ſeu reflexæ, quæ ipſam illam Dei legem æternam duplicem in rationem directi nimirum, & reflexi ſcindit. Utinam hoc ipſum myſterium Probabiliſta noſter Gravinianus didiciſſet! profecto pacis conditiones, quas cum Antiprobabiliſtis aliquando ferre cogitabat, meliorem in formam commentatus eſſet, ſeque etiam Probabilioriſtam dixiſſet. Sed carpendi ſtudio delectatus ne ipſum quidem myſterium ſuum probabiliſticum adornavit. Celerius reliqua percurram.

III.

Tertium Abſurdum: Ope reflexi judicii ignorantiam probabiliſticam putare eandem eſſe, ac ignorantiam illam invincibilem, quam S. Thomas, quamque omnes Theologi contra Janſenianam propoſitionem ab Eccleſia confixam, excuſare a culpa profitemur. Juniores Probabiliſtæ ignorantiam crimini verti non debere docent, niſi adſit actualis reflexio, & advertentia ſuper malitia operationis. Incidunt in ſcyllam, cupientes vitare charybdim. Et ſi enim Janſenius ignorantiam invincibilem negavit criminis eſſe expertem: At Pelagiani, & Celeſtiani nullum ignorantię peccatum agnoverunt ſine cognitione. „ Quæ eſt, inquiunt voce Critoboli apud Hieronymum *lib. 1. Dialog. adverſ. Pelag. c.* 10. „ juſtitia ut in peccato tenear erroris, cu„ jus reatum non habet conſcientiam? Neſcio me peccaſſe, & ejus rei, „ quam neſcio pœnas luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero?„

Etiam peccatum Philoſophicnm quod diris devovit Alex. VIII. anno 1690. offenſam Dei removet *ab illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat.*

Excute modo atque explica nobis Graviniane Probabiliſta illa verba tua, ut prodas, quid velint, quo inclinent, quove collineent? „ Vi ſono inquit *Apolog. p. p. n.* 33. *pag.* 68. „ certe azioni male in ſe, ma che poſ„ ſono in certa età non comparir male. Ditemi chi le fà pecca? Certo „ che no; perchè il peccato ſi regola dal certo dettame, che ſuggeriſce „ eſſer quella tale azione peccaminoſa; *dove queſto dettame non v' è, non* „ *v' è peccato riſpetto all' operante*; *benchè l'azione in ſe ſia Peccato*; *e* „ *tutto ciò per beneficio dell' Ignoranza Invincibile*, che ſcuſa dal peccato, „ conforme inſegna S. Tommaſo, oltre tanti altri inſegnamenti della Chie„ ſa. Onde ſiccome chi sbaglia nell' argomento Tulliano della Madre, „ diceſi aver commeſſo una Imprudenza materiale, ed incolpevole, così „ chi sbaglia nel contratto, diceſi aver commeſſa e. g. un Uſura materia„ le, ed incolpevole. „

Digitized by Google

Si homines actuali cognitione destituti, quia lux malitiæ illorum menti non affulget, nullo modo peccant; qui quocumque modo inconſiderate perjuria, blaſphemias, convicia, maledicta in Deum, Sanctoſque eructant, cujuſque criminis erunt expertes. Quod item de iis putandum eſſet, qui ira, furoreque perciti nihil de malitia cogitant, dum ſanguinem effundunt humanum; deque ceteris, qui concupiſcentiæ illecebris capti ſpurciloquiis, impudicitiis, obſceniſque ſeſe contaminant, propterea quod minimè advertunt in tanta ſcelerum caligine ſe Deum offendere, aut quidquam turpis perpetrare. Quo quid magis abſurdum? quid portentoſius dici, & cogitari poteſt? „ Multi, inquit P. Tyrſus Gonzalez *de licito uſu opin. differ. 9. n. 13.* „ *Probabiliſtæ* ad peccandum contra legem re- „ quirunt advertentiam actualem ad malitiam, vel periculum malitiæ; „ ac proinde exiſtimant neminem poſſe peccare, agendo contra legem, „ quin cognoſcat ſe peccare: quos latè impugnavi *tom.* IV. *diſp. 6. a num.* „ 92. *ad* 156. oſtendens poſſe aliquem per errorem culpabilem ortum ex „ ſua culpa perſonali peccare mortaliter contra legem, & ſi in eo inſtanti „ nullo modo cognoſcat ſe peccare; *IMMO QUAMVIS CERTUM* „ *EXISTIMET SE BENE AGERE*.

IV.

Quartum Abſurdum eſt immane commentum, quo ope ejuſdem legis æternæ reflexæ, quæ ſunt mendacia, perjuria, adulteria, pollutiones &c. ſuapte natura prava, erroris, aut ignorantiæ probabiliſticæ facta poſitione evadere dicuntur honeſta, Deoque grata. Invenienda erat lex ſuprema æterna, unde ſuam bonitatem humanæ operationes haurirent, cujuſque ad regulam ſeſe conformarent. Concepit Terillus legem æternam reflexam. Nam lege Dei æterna directa, antecedente, & per ſe mala ſunt, & ſuapte natura peccata. At ex ſuppoſitione erroris, vel ignorantiæ humanæ per accidens Deus ordinat aliam legem hoc modo: Decerno hominem ea omnia licite agere poſſe, quæ probabiliùs, ſeu veriſimiliùs deprehendit eſſe contraria meæ æternæ legi per ſe, abſolutæ, & antecedenti. „ Certum eſt, inquit P. Terillus *q.28. de conſc. n.12. pag.557.* „ actum conformem legi „ æternæ exiſtenti per accidens eſſe honeſtum, Deo placere; quamvis „ objectum, quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per ſe diſpo- „ nit de rebus. „ Perjuria, adulteria, mendacia, pollutiones, &c. ponunt *objectum, quod non conformatur legi æternæ, quæ per ſe diſponit de rebus.* At hæc honeſta evadunt, Deoque placent, facta poſitione ignorantiæ probabiliſticæ. Vis audire cauſam cur fiat honeſtum, quod per ſe eſt turpe? Nimirum quia conformatur *legi æternæ exiſtenti per accidens*, qua Deus decernit hominem licite agere poſſe, quæ ſub illo principio Terilliano, quod eſt judicium reflexum Gravinianum, probabiliter colliguntur.

Hanc

Digitized by Google

Hanc ſententiam videntes, ac prudentes ſuſcipiunt Pater Segneri, Caſnedi, La-Croix, Viva, & alii Probabiliſtæ ferè communiter. Quos ego ne vocis libertate ſeverius perſtringam, verbis aggredior docti Jeſuitæ P. Ignatii Camargo *lib.* 1. *controv.* 10. *ar.* 3. *n.* 64. „ Quid poſſum objicere benignæ Terilli Theologiæ ultro admittenti peccatum honeſtum Deo placens, ut illud etiam præcipiat, aut conſulat? Tot, & tanta Terillus miſcet „ abſurda, etiam aperte ſecum pugnantia, ut moderamur ſuſtineat Probabiliſmum. „ Et paulo ante: demiratur idem Camargo veluti *Horrendum dictu*, quod excogitavit *Terillus.*

Enim verò ſi Probabiliſtæ ultro concedunt ignorantiam probabiliſticam invincibilem mendacii, perjurii, fornicationis, idque genus aliorum, quæ ſunt natura turpia: quidni Lutheraniſmi, Calviniſmi, Janſeniſmi, ac hujus furfuris, aliarum hæreſum probabiliſticam invincibilem ignorantiam fateantur? Neque id ſolum. Nam re ipſa fatentur opera *materialiter* in ſe mala, & legi æternæ directæ, ſeu per ſe contraria, tamen ſi ex conſcientia invincibiliter erronea in finem bonum referantur, & conditiones adſint neceſſariæ ad *opera meritoria*, Deo quidem *placere*, & idcirco mereri poſſe vitam æternam.

P. Claudius La-Croix *lib.* 1. *q.* 5. *n.* 14. *& ſeq.* Terillo ſuo adhærens hanc ſententiam, ut communiſſimam laudat, ac Theologos Probabiliſtas plures enumerat. Dicturus ergo Deus in extremo judicio his erit, qui hæc agunt, tanquam piis fidelibus de vita æterna bene meritis: *Venite benedicti Patris mei percipite Regnum, quia ſurati eſtis, quia mentiti eſtis, quia ſecuti eſtis* Lutherum, Calvinum, Janſenium, ex ignorantia invincibili, legique meæ æternæ reflexæ, & per accidens conſentanea egiſtis.

Hic lector ridere, ſtomachari, acerbè ferre: Probabiliſtæ cauſam ſibi involvi, me nimium amplificare, & chimeras fingere dicent, ut reliqua poſſim perorare. Verum cum habeam Patronum non ſuſpectum Patrem La-Croix, utar hujus objectis, & reſponſis. Nam *lib.* 1. *n.* 24. objecit ſibi: „ Abſurdum eſt dicere, quod voluntas mentiendi poſſit unquam à „ Deo exigere præmium, quia mendacium intrinſecè, & ſemper diſplicet „ Deo, ac conſequenter voluntas mentiendi non poteſt eſſe aliquid placens Deo. Reſpond. Abſurdum eſt dicere, quod voluntas mentiendi „ poſſit, *per ſe* loquendo a Deo exigere præmium conc. per accidens, „ *ſi mendacium invincibiliter* repræſentetur, ut bonum, & obligatorium „ neg. „

Explicatiùs, & animoſiùs P. Caſnedi *tom.* 1. *diſp.* 6. *ſect.* 1. §. 3. *pag.* 192. „ Ita quoque nullum eſt abſurdum, quod Chriſtus Dominus dicat: „ Veni benedicte accipere Regnum, quia mentitus es invincibiliter, putans me in tali caſu præcepiſſe mendacium.

Mirabiliora dabo, quæ idem Pater Caſnedi *tom.* 2. *in Dedicatione ad Chriſtum Jeſum* non erubeſcit ſcribere: „ Cum magiſter veritatis ſis, adeo

I 2 hu-

Digitized by Google

„ humanæ condeſcendis inſcitiæ, ut *in tuo veritatis Tribunali* error incul.
„ patus ipſam *coæquet* veritatem. Eum enim non accuſas, ſed excuſas,
„ non plectis; ſed *præmiaris*, ipſam tuam legem habendo pro non lege, &
„ tuam non legem habendo pro lege; ſi lex, ut non lex, & non lex ut lex
„ invincibiliter proponatur.

Age vero *Domine Jeſu* vide nunc ſacrificium laudis, quod *tibi* offerunt Probabiliſtæ verbis, ac labiis pii, & religioſi Sacerdotis ſui P. Caroli Antonii Caſnedi. Dedicatio magnam habet Religionem. Nome in Dedicatione, & quis dedicat, & quid, & quomodo, quæritur? Probabiliſta eſt, qui dedicat: At quid? Probabiliſmum reflexum. Dicam planiùs errorem inculpatum. Qualia ſunt ſcelera illa omnia, quibus ignorantiſmus probabiliſticus etiam in his, quæ pertinent ad jus naturæ, defenditur. Audi modum & vocem offerentis. Tanta eſt Chriſti Jeſu benignitas, qua humanæ condeſcendit inſcitiæ, ut ſuo in Tribunali veritatem inculpati erroris ſororem faciat. Venit Deus in mundum non modo, ut ſtatueret veritatem, ſed etiam ut errorem inculpatum, hoc eſt, ſtuprum, mendacium adulterium, perjurium, furtum invincibilis ignorantiæ probabiliſticæ excuſatione veſtitum pari mercede, & præmio perinde, ac ſi ipſa veritas eſſet, & bonum opus, liberaliter afficeret. Priſci Deorum cultores. „ Nec eſt ulla ajebant apud Tullium *pro Domo ſua c.* 41. *n.* 107. „ erga Deos pie-
„ tas, niſi honeſta de *numine eorum*, ac mente opinio, cum expeti nihil
„ ab iis, quod ſit injuſtum, atque inhoneſtum, arbitrere. „ At hoc Probabiliſta auctore tam caſto, tam religioſo, tam ſancto, tam pio jam effectum eſt, ut verus Deus pro non honeſto honeſtum, & non honeſtum pro honeſto in ſuo Tribunali veritatis judicet. *Ipſam*, inquit, *tuam legem habendo pro non lege, & tuam non legem habendo pro lege*. Non igitur venit in mundum, non ad hoc natus eſt Chriſtus Jeſus, ut teſtimonium perhibeat veritati. Non igitur lex ejus una, & ſola veritas; ſed Probabiliſta auctore Chriſti benignitas, ut noſtræ imbecillitati blandiatur, ipſam legem, ideſt, veritatem habet pro non lege, ideſt, pro errore, & ſuam non legem, ideſt, errorem inculpatum habet pro lege, ideſt pro veritate. Quid tetrius? quid impuriùs fingere, & cogitare poſſumus de falſis Diis? Tremit manus, & calamus ipſe elabitur hærens, metuens, dubitans, ac reverens, ne hæc ita a me ſcribi, horridum lectori ſit, & divino injurioſum Numini. Nam cujus pias aures hæc non labefactat doctrina. Monſtra monſtrum, & abſurda abſurdum pariunt.

Quid nunc mirer Probabiliſtas, aliam facere Judicis in foro, aliam Confeſſarii in Sacramento pœnitentiæ rationem judicandi? Si in uno atque eodem Chriſti Domini ſupremo, atque falli neſcio Tribunali lex, ut non lex, & non lex ut lex invincibiliter poni poſſe dicitur: multo magis illis licuit, doctrinam Eccleſiæ frangere, ut Judici in foro neceſſe ſit ſecundum opinionem magis probabilem judicare, ſecus Confeſſario in Sacramento pœni-

Digitized by Google

nitentiæ. Quid ita? Quia inventum illud Probabiliſticum, quo *lex* ut *non lex* proponitur: in foro fori horret Judex; Chriſtus veritatis magiſter non horret. Sed infinitum eſt abſurda abſurdis jungere, & omnia explicare, quæ Probabiliſmus reflexus monſtra, & chimeras peperit.

PARADOXUM IV.

Obligatio rejiciendi Probabiliſmum faventem libertati, & eligendi Probabilioriſmum ſtantem pro lege oritur, & habet vim præcepti ab ipſo Ordine ſeu lege, & regula Charitatis.

SEd jam tempus eſt, ut optatis reſpondeam Graviniani Probabiliſtæ, qui juris humani confinia adeo dilatare voluit, ut ſuis terminis regnum definiret charitatis. Homo ditiſſimus, qui exſolvit tres dotes Probabiliſmo in opulentam familiam Soc. Jeſu locando, *poſſeſſorium* libertatis ſe habere contra Deum putat. Onus probandi in Antiprobabiliſtas transfert, qui cauſam *petitorii* inſtituunt. Prope jam interdicto UNDE VI nobiſcum contendet, quod è poſſeſſione libertatis Probabiliſmum ejiciamus. Cum igitur nullum certum argumentum, ne ab his quidem legibus ſuppeditari ſibi contra charitatis regnum poſſe intelligeret, negantis argumenti præſidio ad caſtra Scepticorum abit, deſperans nos poſſe aliquam ipſi certam regulam oſtendere, qua vim obligandi, & præcepti auctoritatem pro eligenda opinione magis probabili, ac rejicienda minus probabili evocamus. „ Probent igi- „ tur, inquit (*a*), Adverſarii vetitum eſſe nobis ſequi minus probabilem, „ quod donec non probent, nemo unus Theologorum ſine temeritatis nota „ licere nobis, negabit. „ Et rurſus (*b*) „ quod factum iri ab Adverſa- „ riis deſperamus. „ Fac manifeſtè probem, tamen deſpero fore, ut aliquando audiat. Quid enim rationes valent, ubi ſtudium certandi, & dura pertinacia ſemel efferbuit? An poſt illa, quæ Innocentius Rom. Pont. præcepit P. Tyrſo Gonzalez contra Probabiliſmi doctrinam poſtulandæ rationes erant ut a ſuſcepta ſententia Probabiliſtæ decedant? neque reſumenda mihi hoc loco verba ſunt; nam paulo ante *in Paradoxo* 3. §. XI. *Abſurdo* 2. illa exſcripſi. Nunc ut præjudiciis occurramus perpauca primum de libertate.

§. I.

(*a*) *Apolog.* P. Grav. *p. p. Dial.* 7. *concl.* 7. *pag.* 102.
(*b*) *In cit. p. p. Dial.* 25. *concl.* 37. *pag.* 280.

§. I.

Poſſeſſorium, aut Petitorium libertatis contra legem charitatis ſtultè, ne dicam iniquè poſtulatur.

HÆc enim duo judicia, quæ in foro hominum Tribunalia occupant, in foro Dei, & conſcientiæ nullum locum habent. Vocem attollis, mi Probabiliſta, concitas turbam, digitum ad me intendis: En Janſeniſtam! Audi Janſeniſtam!

Sic veteres in limo ranæ cecinere querelam.

Soli ne Janſeniſtæ ratione utuntur? Soli ne hoſtes Eccleſiæ Probabiliſtarum errata olfaciunt. Ecquibus ornare laudibus ſplendidioribus illos poteris, quam ſi convinceris ceu juſtiſſimos eoſdem habere cenſores in cauſa diſpari ſed contra charitatem pari? Gratificantur, exultant, ſibique applaudunt Janſeniſtæ, dum audiunt, ac legunt, tam effreni licentia libertatem a Catholicis defendi, ut jura ſua adverſus Deum urgeat. Tu quid agis optime Probabiliſta? neque hæc tibi res affert dolorem? non te frangit argumentum lætitiæ, quod iis præbes, qui & tui, & noſtri omnium ſunt inimici? Adeo ne te ſtudium nocendi nobis tenet, ut communem Eccleſiæ cauſam non magni facias? Non opinor. Age pauliſper attende, & in memoriam illud Apoſtoli revoca ad Gal. 5, 13., „ *Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſervire invicem.*

Aliud eſt enim forum carnis, aliud forum ſpiritus. In litibus fori externi, cum inter homines agitur, ſæpe *proprietas* res dubia eſt, poſſeſſio certa. At in foro ſpiritus, & conſcientiæ, ubi cum Deo res agitur, ſi certa eſſet poſſeſſio, nullus relinqueretur locus dubitandi de honeſtate actionis. Nam ſi certa ſit libertatis meæ poſſeſſio pro contractu ineundo: nunquam venire in dubium poſſet, ſit nec ne mihi licitus ejuſmodi contractus. Tum igitur certa ſit libertatis meæ poſſeſſio, cum evidens quoque, ac certum apparet contractum non eſſe infectum uſura.

Permulta occurrunt de diſcrimine libertatis hominum inter homines, atque hominis erga Deum. Omnis homo natura ſua liber eſt a ſervitute alterius hominis. Sumus namque omnes ratione præditi, & ob id ipſum, quod homines, diligendi invicem ſumus. Nam ratione, & oratione tanquam amicitiæ cujuſdam naturali vinculo ſociamur. Quare noſtrum quiſque ſui juris eſt, & poſſeſſionem obtinet erga alios homines paris libertatis. Hæc ſimilia minimè ſunt erga Deum, qui Dominus omnium eſt, cuique omnes ſervire, & debemus, & jubemur; nec ab ejus dominio, aut lege ullo quoquam modo liberi ſumus, vetus eſt & ſatis diſputata in ſcholis quæſtio, atque omnium Theologorum firmata conſenſu, nihil eſſe, quod ſubtrahi ſe poſſit, ne pareat, obnoxiuſque ſit legi Dei æternæ. Etiam res humanæ omnes auctore S. Thoma 1. 2. *q.* 93. *ar.*6, huic legi ſubeſſe coguntur.

tur. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Liber ne es ab ejus ſupremo Dominio, ab ejus ſempiterna lege, ut contra Deum libertatis tuæ actionem poſtulare queas; ejuſque obedientiam, ac ſervitutem excutias? Sed aliud eſt hominem liberum eſſe libertate phyſica, quam dicimus, indifferentiæ, & arbitrii, ut poſſit quod malit bonum aut malum eligere. Nulla namque neceſſitate intrinſeca vehetur, ut viam vitæ, aut viam mortis ingrediatur. Aliud hominem liberum eſſe libertate morali, hoc eſt, a regulis morum. Nulla enim hominis actio honeſta, & recta eſſe poteſt, niſi cum lege, & regula morum conſentiat. Hæc lex æterna eſt, hæc regula, & ordo charitatis, cujus expreſſa imago ſignata ſuper nos eſt & per fidem, & per lumen rationis. Hanc legem quivis homo ſit juſtus, ſit peccator conſulere cogitur; huic ſubeſſe, & ſervire debet, ſi quidem honeſte agere & officium ſervare, ac tueri velit. Quiſquis huic legi reſiſtit, aut alio ab illa pergit, ſuperbus eſt, nihil ſciens, diſcedit a fide, id eſt, a recta conſcientia, ſpiritu erroris fertur, & doctrinis annuit dæmoniorum. *Sive ergo* inquit 1, ad Cor. 10, 31. *manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite*. Et eodem loco cap. 16, 14. *omnia veſtra in charitate fiant*. Et adhuc *ad Rom.* 14, 23. *omne quod non ex fide peccatum eſt*. Quæ ſane omnia legem æternam, legem fidei, ordinem charitatis, & regulam morum perſonant.

Scitè Franciſcus Sylvius *in* 1. 2. D. Thom. *q.* 100. *ar.* 10. §. *His conformiter* illam Apoſtoli ſententiam = *Omnia veſtra in charitate fiant* = interpretatur duobus modis poſſe intelligi. Uno modo ſi Deus ſimpliciter diligatur ſupra omnia, & ſic concedendum videtur, ait, non eſſe præceptum ,, ut poſitivè faciamus omnia ex charitate; modo nihil fa-
,, ciamus a charitate alienum. ,, Alio modo ſi Deus ,, ſic diligitur ut in
,, eo opere, quod propter ipſum fit, quodque ita bonum eſt, ut omni re-
,, prehenſione careat, nihil ipſi præponatur, vel æquetur, etſi nec dum
,, abſolutè ſeu quo ad omnes actiones ſuper omnia diligatur. Sic o-
,, mnia facere ex charitate præceptum eſt, quia omnia referri debent ad
,, finem charitatis, ſcilicet ut fiant propter Deum, & proximum. Et ſic
,, malos Chriſtianos aliquid agere ex charitate juxta ſenſum præcepti ni-
,, hil prohibet, inquit Eſtius, veluti dum propter Deum fide cognitum
,, eleemoſinam indigenti largiuntur, ita Deum, ut finem ſpectantes, ut in
,, illo nihil Deo aut anteponant, aut æquent; neque enim peccatum cujus
,, ſervi ſunt, in omnibus eorum actionibus ſeſe exerit. ,,

Quorſum hæc? inquies: Eo certe pertinent, ut Gravinianus Probabiliſta libertatis æquivocum nobis objicere tandem aliquando deſinat. Neque jura poſſeſſionis ejus, quam numquam accepimus, inſulsè in poſterum obtrudat. Non ſunt liberi homines a ſervitute Dei, quaſi jus non parendi, ſeſeque non ſubjiciendi ejus æternæ legi habeant. Quin etiam neceſſe eſt, ut mandata ejus in omnibus, quæ volunt, quæque agunt, & exequuntur, di-

Digitized by Google

diligenter inquirant, ſcrutenturque, quemadmodum hac, aut illa in re, impleant; ſiquidem manere in officio, & non peccare velint, atque morum regulam, ordinemque charitatis non deſerere. Huic nimirum ſubeſſe, hunc tenere, & ſervare ordinem jubemur: Omnia in charitate facere, omnia in Dei gloriam agere, omnia fide metiri. Hæc fides non eſt quodvis cumque dictamen rationis, ſed rectum dictamen, hoc eſt, non ſejunctum, ſed conjunctum cum lege fidei, cum lege æterna, cum ordine, quem charitas præcipit. Ac de libertatis poſſeſſione hæc dicta ſint. Sequitur, ut præceptum ipſum, & vim obligandi ab hoc ordine profectam exponamus. in quo videndum eſt, quemadmodum charitas Dei nos liget, ut rejecta opinione minus probabili adhæreamus illi, quæ eſt probabilior, & charitati ipſi proximior.

§. II.

Ordo charitatis præcipit, ut probabiliora, & vero propinquiora ſequamur, minuſque probabilia, & a vero longiora deſeramus.

Cum lex quæque ratio quædam ſit rerum ad bonorum finem ordinatarum, neceſſe eſt, ut prius & poſterius, majus & minus, propinquius & remotius in rebus ipſis ordinatis inveniatur. Rerum ergo harum „ aliæ „ ſunt, ait Auguſtinus, quibus fruendum eſt, aliæ quibus utendum, aliæ „ quæ fruuntur, & utuntur. Illæ quibus fruendum eſt beatos nos faciunt. Iſtis quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciunt „ pervenire, atque his inhærere poſſimus. Nos vero qui fruimur, & utimur inter utraſque conſtituti, ſi eis quibus utendum eſt frui voluerimus impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his „ rebus, quibus fruendum eſt obtinendis vel retardemur vel revocemur „ inferiorum amore præpediti. „ Hactenus Auguſtinus *lib.* 1. *de Doctr. Chriſt. c.* 3.

Cum vero tot ſint res, quas diligere poſſumus, ordo charitatis hanc regulam vitæ noſtræ officiis præſcribit, ut minora bona minus, potiora, ac Deo propinquiora magis diligamus. Sane omnia tam potiora, quam minora bona, ſalva eſſe charitas præcipit. Habet enim quæque ſuum ordinem ad finem. Sin autem contentio, & comparatio incidat, ut alterum ex comparatis deliberandum ſit: eo nos rectus charitatis ordo ducit, ut hiſce in bonis ordinatis, ſemper id anteponamus, quod eſt potius debitum, ac fini propinquius. „ Ipſa agenda, D. Thomas docet 1.2. *q.*99. *ar.*5., ſub præcepto non cadunt, niſi in quantum habent aliquam debiti rationem.... „ Debitum autem morale eſt duplex: dictat enim ratio aliquid faciendum

„ vel

Digitized by Google

„ vel tanquam neceſſarium, ſine quo non poteſt eſſe ordo virtutis, vel „ tanquam utile ad hoc, quod ordo virtutis melius conſervetur: & ſe„ cundum hoc quædam moralium præciſè præcipiuntur, vel prohibentur „ in lege: ſicut non occides, non furtum facies: & hæc propriè dicuntur „ præcepta. Quædam verò præcipiuntur, vel prohibentur non quaſi præ„ ciſè debita, ſed propter melius: & iſta poſſunt dici mandata: quia „ quandam inductionem habent, & perſuaſionem ſicut illud Exod. 22. „ *Si pignus acceperis veſtimentum a proximo tuo, ante Solis occaſum reddas* „ *ei*, & aliqua ſimilia: unde Hieronymus dicit, quod in præceptis eſt ju„ ſtitia, in mandatis verò charitas. „ Quibus paria tradit idem S. Thomas 2. 2. *q.* 80. *ar.* 1. *in corp.* Confer *ib. q.* 44. *ar.* 1.

Itaque hæc bona, quæ rationem debiti ad finem obtinent, quæque id circo deliberanda, & diligenda ſunt, ſi in comparationem veniant, rectus ordo præcipit, ut probabiliora, & fini propinquiora præponantur. Hac de cauſa bona fortunæ poſthabemus, ut valetudini, & ſenſuum integritatī proſpiciamus. Hæc quoque propter animæ bonum parvī facimus: nam & in capitis diſcrimen cogente charitatis ordine venire non dubitamus, ne fidei teſtimonium deſit. Maneat igitur, ac fixum hoc ſit, ordinem charitatis hanc nobis obligationem parere, & præſcribere, ut ſi concurrat honeſtum cum honeſto id anteponamus, quod eſſe noſcitur honeſtius, ideſt, fini in ratione debiti magis propinquum.

Atque id prudentiæ nos etiam ipſa docet virtus, quæ eſt *recta ratio agendorum*. Rectum enim nihil eſt aliud, quam quod principio concordat, eſtque propterea brevior, & propinquior via inter duo extrema (ut lineæ recta inter duo puncta) appetitum nempe & finem. Quo circa ratio mediorum tum dicitur recta, cum eſt conformis appetui recto rectitudine finis. Erit igitur ratio probabilium recta, cum in comparatione deligit, ac præponit illa, quæ ſunt fini propinquiora. Contra verò ſi hæc dimittit, ac minus ad finem propinqua anteponit, ratio dici, & eſſe poteſt, recta eſſe non poteſt. Ex quo fit, ut neque prudenter quis agat, qui inter agenda probabilia iis adhæret, quæ magis, longiuſque a fine recedunt. Is enim magis diligeret, quæ minus diligenda ſunt, & ut a vero ſic a bono exorbitaret. Præclare Auguſtinus *lib.* 1. *de Doctr. Chriſtiana cap.* 27. „ Ille „ juſtè, & ſanctè vivit, qui rerum integer æſtimator eſt. Ipſe eſt autem, „ qui *ordinatam habet dilectionem*, ne aut diligat, quod non eſt diligen„ dum, aut non diligat, quod eſt diligendum, aut amplius diligat; quod „ minus eſt diligendum. „ Ad hanc Auguſtini doctrinam accedit S. Thomas 2.2.*q.*44. *ar.*8. ubi ex inſtituto quærit, utrum ordo charitatis cadat ſub præcepto; idque & S. ſcripturæ auctoritate confirmat, & ratione explicat.

Quibus ex rebus ad demonſtrandam probabilioris opinionis eligendæ neceſſitatem, & obligationem, quam facit, & præſcribit ordo charitatis, tres propoſitiones colligo.

 Pri-

Digitized by Google

Prima Propoſitio: Ordo charitatis, qui ſub præcepto cadit, id præſcribit, ut ſi agendorum contentio, & comparatio incidat, illud honeſtum eligamus, & anteponamus quod eſt potius, ac fini propinquius in ratione debiti.

Secunda Propoſitio: Et opinio probabilior, quæ legi favet eſt potior, & fini propinquior in ratione debiti: illa verò minùs probabilis, quæ ſtat pro libertate, eſt a fine remotior, ac debitum tollit.

Tertia Propoſitio: Non eſt ergo liberum, ſed præceptum ab Ordine charitatis profectum, hoc eſt a regula, & lege Dei æterna, ut anteponamus opinionem probabiliorem pro lege, ac rejiciamus opinionem minus probabilem, quæ ſtat contra debitum ad finem, & pro libertate.

Arctius aſtringi ratio non poteſt. Nec video quemadmodum elabi, ſeſeque expedire ex vinculis hujus ordinis ingenioſus noſter Probabiliſta poſſit. Obvium exemplum proponam. Duo bona charitatis Apoſtolo Paulo occurrebant *ad Philipp.* 1, 22. *& ſeqq.* Vivere in Carne pro Chriſto, & mori ut Chriſtum lucraretur. Coarctabatur e duobus, quid magis eligeret. Si comparatio, & contentio in ratione melioris, & majoris perfectionis inter hæc duo incideret, confeſtim intellexiſſet: Diſſolvi, & eſſe cum Chriſto eſſe aliquid *multo magis melius*. Permanere verò in carne in ratione *perfectionis* multo minus, & remotius ab ipſo Chriſto. At comparatio, quæ Apoſtolo inter illa duo habenda offerebatur, non in ratione melioris perfectionis, ſed in ratione ejus, quod eſt debitum, verſabatur. Non licuit idcirco Apoſtolo, eligere, mortem, & eſſe cum Chriſto, ſed oportuit vivere, quia permanere in carne neceſſarium propter Fideles. Hoc igitur erat potius debitum, atque in ratione debiti propoſito ſibi fini magis propinquum. Illud vero primum & ſi in ratione perfectionis, & utilioris quid melius fuerit, & fini, ideſt Chriſto conjunctius, tamen in ratione officii, quod præſtare cogente charitatis ordine Paulus jubebatur, erat minus debitum, atque in hac debiti ratione a fine remotius.

Ediſſere nunc mi Probabiliſta unum aliquod exemplum, quo uti malueris. Ponamus Antiprobabiliſtam acri ſtilo modo aſperis, modo directis, modo feſtivis, modo ſeveris aſperſo confutare Probabiliſmum, nec auctores niſi magna cum cautione reprehendere, quantum fas eſt, ne falſâ doctrina triumphet eorum patrocinio, quorum numero, & auctoritate firmatur. Ponamus item rem animadvertiſſe Probabiliſtam, qui ſecum apud ſe cogitet, an Probabiliſmi oppugnator veritatis amore ductus Probabiliſmum exerceat, ac juſtas ei reprehenſiones objiciat, an potius impotenti odio abreptus contra Probabiliſtarum perſonas injurias, & dicteria excudat? Diſtrahitur opinione: mihi inquit tum hoc tum illud probabile videtur. Mox conſulit S. Thomam 22. *q.* 60. *de judicio*. Diſcit *ex ar.* 4. aliud eſſe judicare de rebus, aliud de hominibus. Re diligenter collata ſtatuit: Probabilius ſibi videri judicium eſſe temerarium de Perſona Anti-

pro-

probabiliſtæ odium, & invidiam ſuſpicari: minus probabiliter tamen non temere ſe judicare poſſe opinatur.

Simile quid occurrit huic Probabiliſtæ ſi conſulat *Opuſc.* XIX. S.Thomæ, quo facta, & geſta Dominicanorum, ac Mendicantium id ætatis perperam accuſabantur ab illis Calumniatoribus, quos S. Thomas reprehendit. Qualia erant, quod Religioſi in judicio ſuam defenſionem experirentur, lites inſtituerent, reprehenſores, & detrectatores ſuos dare pœnas injuriarum curarent, negotiis ſe ſecularium miſcerent, per domos, perque vicos, & plateas volitarent, & id genus alia innumera, quæ etiam nunc paſſim in ſuo *Apolegitico* Gravinianus Probabiliſta in Dominicanos contorquet aliis quidem verbis, at ſenſu verborum fortaſſe non omnino diſpari. Hæc igitur, & talia hic Probabiliſta, quem fingo, deprehendit eodem S.Thoma auctore fieri a Religioſis benè, & malè ex charitate nimirum, aut ex cupiditate poſſe. Ac probabiliorem quidem opinionem putat eam, quæ ſtat pro charitate. Minus probabilem habet alteram, quæ illa geſta, & facta Religioſorum interpretatur in malam partem, fieri nimirum ex odio, & cupiditate.

Conveniant quæſo mi Probabiliſta inter nos hæc duo exempla. Confer modo ac diligenter iſta contende cum illo Pauli a me dudum expoſito. Periclitare ſi vis, num hæc opinio tua minus probabilis, & in ratione melioris, & in ratione debiti illi comparanda ſit opinioni, quæ Paulo eidem minus probabiliter ſuo quæque in genere occurrebat. Non hoc te comminiſci poſſe reor. Quæ namque judicas minus probabilia, ea nihil profutura tibi ſunt, ut Chriſtum lucreris, & de perſona, deque intentione judicas in malam partem Ordinis Prædicatorum. Nihil igitur perfecti, nihil melioris ad hoc, quod ordo charitatis conſervetur, in hoc tuo judicio rationibus minus probabilibus innixo reperitur. Quorum quid ſimile fuit in Paulo? Nam minus probabile, quod in ratione debiti viſum eſt, diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, lucrum Chriſti afferebat, nocebat nemini. Rurſus minus probabile, quod in ratione perfectionis videbatur, permanere nimirum in carne, charitati tamen ad Fidelium ſalutem militabat. Vides igitur illas tuas minus probabiles opiniones, quas interpretandas in malam partem Ordinis Prædicatorum anteponis, nihil charitatis præſeferre, nec illi poſſe minus probabili comparari, quam utrum eligeret, coarctabatur Apoſtolus. Etiam ne ſuſpenſus hæres? etiam ne cunctaris? Nunc quicquid eſt, quocumque tua mens inclinat, atque ſententia, declarandum tibi coram eſt. An vero alius charitatis ordo Pauli, alius Probabiliſtarum? Si ergo hujus ordinis præcepto ligatus eſt Paulus, ut permaneret in carne, quia in ratione debiti, & neceſſarii officii ad finem charitatis erat proximius: eodem ordine cogente obligatur Probabiliſta, ut eam partem præponat, quæ eſt probabilior, quia in ratione debiti, & neceſſarii officii ſtat pro lege, eſtque ad charitatis finem propinquior.

Digitized by Google

Habes optime Graviniane ab Auguſtino explicatam ſententiam: *Ille juſtè, & ſanctè vivit, qui rerum integer æſtimator eſt. Ipſe eſt autem, qui ordinatam habet dilectionem.* Intellectum eſt etiam a D. Thoma ordinem charitatis cadere ſub præcepto. Sacrarum Scripturarum loca ab ipſo D. Thoma eo quoque *in art.* 8. patefacta ſunt. Quæ ſi partium ſtudio ſemoto, ac Probabiliſmi tui præjudiciis ab animo pulſis expendere, & toto pectore, ut dicitur cogitare non pigebit: confitearis neceſſe eſt, Probabilioriſmum Thomiſticum ab ordine charitatis profectum obligationem induiſſe anteponendi minus probabili probabiliorem opinionem.

Atque hæc, quæ ad conficiendam obligationem ſequendi id, quod eſt probabilius, a me in anguſtum adducta ſunt, deque Thomiſtica Schola educta, ut cauſam dicerem probatu facilem, ſint tanquam levioris armaturæ prima excurſio. Plura ſi aves, & graviora, & validiora, invenies apud Antiprobabiliſtas Dominicanos omnes Baronium, Contenſonium, Gonet, cæteroſque omnes recentiores, & apud noviſſimum omnium P. Concinam. Invenies etiam apud doctiſſimos Soc. Jeſu Antiprobabiliſtas P. Elizalde, P. Camargo, R̃mum P. Tyrſum Gonzalez, alioſque etiam innumeros, quos nec te fallere opinor, ut nec tua illos in Probabilioriſmum tela, contortaque ſophiſmata jam ab aliis Probabiliſtis multo ante decantata fefellerunt. Accipies autem ab eis non rationum momenta tantum, ſed Scripturæ, Patrumque loca liberalius explicata: Max. Pontificum, & Conciliorum præſertim Romani ſub Benedicto XIII. 1725. *in Append. pag.* 343. *n.* 8. *ad tit.* XV. c. IX. decreta tuum in Probabiliſmum pro opinione probabiliori edicta. Conſulto hæc a me præteriri opus fuit, ne iiſdem reſumendis argumentis vana aliqua animo tuo inſideret opinio, te vel leve quicquam propter nænias, ſophiſmata, & Parerga in Perſonas, contra doctrinam Antiprobabiliſticam attuliſſe, quod non ſatis, pleneque multo ante ab illis exploſum ſit.

Et ais: nonne Benedicti XIV. feliciter regnantis locum adulteraſtis, quo in *Antiprobabiliſmi Vindicati Concl. LXII.* venditabatis Rom. Pontificem probabiliorem opinionem in Encyclica ex Arce Caſtri Gandulphi die 26. Junii 1749. præcepiſſe? Adverbium *MAGIS* addititium eſt: In textu nihil habetur. Procul enim exulat, illud *MAGIS*. Magna ſane res eſt. Ponderoſum argumentum *Alitonite* illo dignum, quem eſſe in tuis *Dialogis p. p. Apologetici* maluiſti. Certe tanta res jure, & merito grandem illam Poſtillam meruit, quam in ſecunda ejuſdem *Apolog. parte* amplificare conatus es. Fateris in textu Italico particulam *PIU'* explicatam, & verè poſitam fuiſſe. Imponi a nobis, detruncari, adulterari Encyclicam exaggeras, quia latinè dictum ſit *MAGIS*. At Probabiliſtæ tui cum apud Romanum Pontificem contra P. Danielem Concinam quam pluribus cavillis conqueſti fuere, nihil ejuſmodi detuliſſe audimus. Confer declarationem, & proteſtationem, quam idem Pater Concina præfixit *tom. I. Apparatus ad ſuam Theologiam*. Semel, iterum, & crebro hac Encycli-

ca

Digitized by Google

ca utitur Pater Concina *in tomo* 2. *Apparatus ejuſdem*. Teſtificatur *lib.* 3. *differ.* 3. *c.* 8. *n.* 1. „ Epiſtola hæc latine reddita fuit, ſed lubet *TEX-*
„ *TUM ORIGINALEM TRANSCRIBERE AB IPSO, UT*
„ *DIXI PONTIFICE SUMMO SCRIPTUM*: deinceps ſtatim la-
„ tinam verſionem adjiciam, ut ipſi lectores deprehendere verſionis ſinceri-
„ tatem queant. „ Quo anno Pater Concina hæc ſcripſit? *Benedictus XIV.* inquit eodem loci „ *hoc anno ſancto, quo ſcribimus* plura edidit documen-
„ ta pro Confeſſariorum inſtructione. Inter quæ unum eminet lingua ver-
„ nacula ab ipſo doctiſſimo Pontifice exaratum, inſcriptumque: *Lettera*
„ *circolare* &c. „ Ubi gentium Concina hæc ſcripſit? an *Romæ*, an Venetiis 1750. Eadem repetit *tom.* 9. *Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-moralis Romæ*, ſeu potius Venetiis anno 1750. Nam *in præfatione pag.* xxix. *monitum quartum* ab hac Epiſtola Encyclica tradit. Quo loco ſuper *Benedicti XIV. Pont. Max.* monitum Confeſſariis datum, ut illam amplectantur ſententiam cui *MAGIS* ſuffragari rationem, & auctoritatem favere cognoverint, ea Pater Concina idem ipſe commentatur, quæ ſi poſthac Gravinianus Probabiliſta animadverterit, fore ſpero, ut quieſcat, nec oleum, & operam diutius inſumat congerendis *impoſturæ*, & temerariæ *adulterationis* criminibus in dedecus Auctoris Dominicani, qui particulam *MAGIS* juſtiſſimè, & veriſſimè uſurpavit. Omnino Graviniani Probabiliſtæ hallucinatio, niſi malè memini, ex illo Titulo affixo latinæ Encyclicæ orta videtur, qui ſic eſt inſcriptus: „ Hanc (Encyclicam) ſuperius
„ *pag.* 143. latine editam placuit etiam italico ſermone hic inſerere pro ut
„ ad Epiſcopos per Italiam *tranſmiſſa eſt* „ ſed ex hac inſcriptione ratus eſt, confici latinum textum eſſe Archetypum, exemplar verò italum.

Hæc inſcriptio non id perhibet; tantum indicat Epiſtolam latine editam in volumine *Conſtitutionum Benedictinarum* locatam fuiſſe; Italam vero omiſſam, quæ tamen, quia textus originalis eſt italus, idcirco adjecta, additaque eſt in *Appendice*, ut exemplar ad ſuum Archetypum emendetur, & exponatur. Niſi vero Probabiliſta noſter hoc interpretari, & fingere ſibi probabiliter malit, Papam aliud ſenſiſſe cum latinam Epiſtolam direxit ad Epiſcopos univerſos, aliud cum italam eandem Epiſtolam miſit ad Epiſcopos Italiæ. Tricæ, nugæ, ſtrophæ, & cavillæ hæ ſunt. Ne iraſcaris mi *Alitonites*. Quieſce, etiam atque etiam oro te benigne *Alitonites*. Diu multumque te torquet adverbii hujus *MAGIS* controverſia: ſatis te prodiſti *veritatis indagatorem*, *emptoremque* (*a*). Acquieſce igitur ſanis ſermonibus, ne multæ literæ te ducant ad inſaniam. Sed hæc ad puerum Alitonitem; quicum agentes patientia multa, & maxima nobis opus eſt, non ut iræ moderemur, ſed riſui. Puerilia enim ſunt, & quæ riſum ma-

(*a*) *In p. p. Apolog. Dial. primo pag.* 40. *n.* 5.

magis, quam ſtomachum lectori movere poſſunt. Age quæ reliqua ſunt, patefaciamus.

§. III.

„ *Quamvis a peccato excuſentur illi Auctores, qui bona fide „ judicarunt Probabiliſtarum ſententiam eſſe veram, ideo„ que inculpabiliter illam ſecuti ſunt ſpeculativè; nemo ta„ men, niſi probetur, cenſendus eſt adhibuiſſe talem doctri„ nam in praxi ad dirigendam conſcientiam ſuam, aut alie„ nam, QUIA SEMPER, ET UBIQUE FUIT, „ EST, ET ERIT FORMALISSIMUM PECCA„ TUM TALEM DOCTRINAM PRACTICARE.*

VErba ſunt ſapientiſſimi P. Tyrſi Gonzalez in *Supplici Libello*, quem jamjam integrum exhibebimus, ut lector ediſcat momenta rationum, quibus inſignis ille inclytæ Soc. Jeſu Generalis apud Clem. XI. Probabiliſmi cauſam confutavit, & noxiam ſaluti animarum demonſtravit.

Reſpondet P. Cardenas *diſp.* XV. *cap.* 3. *ar.* 3. *n.* 71. ex P. Vaſquez *tom.* 1. *in par.* 1. *diſp.* 117. *n.* 2. ignorantiam probabilem dici invincibilem: quia licet potuerit, non tamen debuit vinci. „ Hinc, inquit *num.* 76. „ colligitur quomodo in omni opinione probabili adſit ignorantia invinci„ bilis. Quia licet poſſit vincere practicè eam ignorantiam reſolvendo il„ lam in dubium, & ad exigentiam dubii ſequendo partem tutiorem; quia „ tamen per rationem probabilem deponit dubium, non tenetur ad eum „ modum vincendi ignorantiam. „

Errat verò vehementer P. Cardenas, errant Probabiliſtæ, dum putant per rationem probabilem deponi dubium poſſe, quoties præſentiſſima eſt oppoſita ratio, aut æque, aut magis probabilis. Quæ enim quiſque ſcire debet, tum excuſatur, ſi neſciat, quando ſcire non potuit: hoc eſt, ſi ſtudio ſuperare ignorantiam non poteſt. Quiſquis autem oppoſitam rationem magis probabilem novit, non modo potuit, ſed ſuperavit etiam contrariam partem minus probabilem. Non igitur laborat ignorantia invincibili. Præclarè Ariſtoteles *lib.* 3. *Ethic.* apud D. Thomam *lect.* 3. *lit. c.* negat involuntarium dici ſi quid agatur, quod ſit *conferens*. Ubi D. Thomas „ Conſiderandum eſt (commentatur) quod duplex poteſt eſſe ignoran„ tia. Uno modo ſecundum quod aliquis ignorat, quid oporteat facere, „ vel vitare. Et hanc ignorantiam dicit eſſe ejus, quod confert. Talis „ autem ignorantia non cauſat involuntarium, quia ignorantia hujuſmodi „ non poteſt homini habenti uſum rationis provenire, niſi ex negligentia, „ quia quilibet tenetur adhibere ſolicitudinem ad ſciendum quid oporteat

eum

„ eum facere, vel vitare. Unde ſi ipſa ignorantia reputatur voluntaria, „ dum homo eam non vult vitare, ſicut tenetur „ (quod Probabiliſtæ faciunt) „ conſequens eſt, quod nec illud, quod per hujuſmodi ignorantiam „ fit, involuntarium judicetur &c.

Et hanc doctrinam, ut alibi ſæpe, ſic repetit 1.2. *q.* 76. *ar.* 2. „ Quicumque negligit habere, vel facere id quod tenetur habere, vel facere „ peccat, peccato omiſſionis: unde propter negligentiam, ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Non imputatur autem „ homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ *ſcire non poteſt*: unde horum ignorantia, invincibilis dicitur, *quia ſtudio ſuperari non poteſt*: & „ propter hoc talis ignorantia, cum non ſit voluntaria, eo quod non eſt „ in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum. „

Jam vero ſi oppoſita ratio eſt æque probabilis: verè anceps, & dubius hæret. Dum autem quis dubitat, inquit S. Thomas *quodlib.* 8. *ar.* 13., & occurrunt opiniones contrariæ, tenetur plus inquirere, & magis certus fieri antequam agat. „ Alioquin committit ſe periculo; & ſic procul dubio peccat, ut pote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem. „ Et beati Probabiliſtæ ſecuritatem pollicentur, atque ignorantiam invincibilem prætendunt, tametſi mobilis animi nutet, & vacillet in utramque partem contradictionis probabilis ratio. Gravis controverſia eſt, ac multis difficultatibus obſita, an ignorantia invincibilis in iis obtineat, quæ ſunt juris naturæ tertiæ claſſis, earum nimirum concluſionum, quæ a principiis juris naturalis longe multum ſunt remotæ, & a ſapientibus non niſi magno cum labore ediſcuntur. Negant Theologi magni nominis, & contremiſcunt. Probabiliſtæ tamen omni excuſſo pavore tanquam e concilio Deorum ad nos delapſi non modo affirmant, ſed tum etiam ignorantiam invincibilem tuentur, cum oppoſita ratio, aut æque, aut magis probabilis innoteſcit. Ita ne vero? Urget æquè, aut magis probabilis contraria ratio, & Tu te dices invincibiliter ignorare, probabilitatem tuam eſſe conjunctam cum periculo peccandi? Ubi doctus? ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi inquiſitor hujus ſeculi? Hæccine eſt illa ignorantia, quæ ſtudio ſuperari non potuit? Etiamne ubi contraria ratio jam ſuperavit?

Scita eſt reſponſio Probabiliſtarum: ſe namque dicunt auxilio principii Terilliani reflexi depoſuiſſe omnem dubitationem, & validiori ratione judicare licitum eſſe adhærere opinioni minus probabili. Audi exemplum. Do inquiunt contractum non eſſe infectum ſimonia, aut uſura, minus probabiliter mihi innoteſcere. Si hac directa probabilitate innixus contractum inirem, nulla me invincibilis ignorantia excuſaret. Verum ſumo reflexum illud, & valde probabilius = *Omnis doctrina certo probabilis, eſt doctrina certo prudens*. = *Qui prudenter operatur non peccat*. = Hoc principium mihi probabilius eſt, ut ſi ineundo contractui errem, jam ſuperari ſtudio non potuit ignorantia. O vis mirifica reflexi probabiliſſimi! Quantum

Digitized by Google

tum differs a via veritatis? Deficiunt me verba. Semper equidem magna cum moderatione Probabiliſtis ad reſpondendum me comparo. Si quæram ab eis. Quotus quiſque hoc principium probet? Excandeſcunt: nec intelligere volunt ſe turpis principii petitione, quam Dialectici vocant ignorantiam *Elenchi* laborare. Sin autem illud agimus hujus principii ſuppoſitionem neque eos a negligentia inquirendi veritatem excuſare, neque hoc principio nixi dubium poſſe deponere: æſtuant, fluctuant, contendunt, ne imprudentiſſimi in agendis videantur. Sed ſi res in contentionem veniet, Bernardus nimirum eſt auctor adhibendus, qui probabiliſticam hanc ignorantiam ſic exagitat *de gradib. humil. cap.* XII. „ Fruſtra ſibi de „ infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, liben- „ ter infirmantur, vel ignorant. „ Et D. Thomas veteratoriam eſſe hanc ignorantiam his verbis oſtendit 1. 2. *q.* 76. *ar.* 4. „ Contingit au- „ tem quandoque quod talis ignorantia directè, & per ſe eſt voluntaria; „ ſicut cum aliquis ſua ſponte neſcit aliquid, ut liberius peccet: & talis „ ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum. Ex intentione „ enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis velit ſubire igno- „ rantiæ damnum propter libertatem peccandi. „ Non quieſcunt Probabiliſtæ; urgent enim, & nihil remittunt.

„ Quoniam, inquiunt, major probabilitas Antiprobabiliſtarum non facit voluntariam ignorantiam, ſed invincibilem eſſe ſinit, propterea quod ſtudio ſuperari non potuit. Porro eadem eſt cauſa majoris probabilitatis reflexæ. Nam Terillianis probabiliſtis hæc apparet magis vera, & ſolidioribus nixa rationibus. Non erit igitur voluntaria, ſed invincibilis Probabiliſtarum ignorantia.

Paucis verbis tria peccata: Unum quod ſecum ipſi pugnant; quo modo enim major probabilitas reflexa conſiſtit, ſi directa opinio ſit,& appareat minus probabilis. „ Per conformitatem intellectus, & rei „ inquit D.Thomas 1.*p.q.*16.*ar.*2. „ veritas diffinitur. Unde conformitatem iſtam cognoſcere eſt „ cognoſcere veritatem. „ Vident Probabiliſtæ directam opinionem eſſe minus probabilem, vident hanc eſſe rem objectam cui reflexa probabilitas conformatur:& cum hæc ſit minus probabilis, volunt per illam reflexionem evadere magis probabilem. Poſſunt ne magis ſecum ipſi pugnare? Hæc namq; reflexio non conformatur cum re cognita. Ergo eſt omnino falſa. Non enim intellectus rem, quam minus probabilem apprehendit, judicat ita ſe habere.

„ Alterum peccatum eſt, quod parem diligentiam,& curam putant ſe impendere, quam Antiprobabiliſtæ impendunt, ut ad ordinem,& regulam charitatis accedant. Non eſt ita. Nam Probabiliſtæ cognoſcunt ſe, ſuamque opinionem longius eſſe poſitam, & magis recedere in ratione debiti ab ordine, & fine charitatis. Nullum igitur dubium, quin eorum ignorantia voluntaria ſit, & volentes ſubeunt hujus ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi.

Ter-

Digitized by Google

Tertium peccatum eſt in ipſa majori probabilitate reflexa, quam non ea regula metiuntur, ut e duobus contrariis officiis in ratione debiti ad finem charitatis id eligatur, quod eſt charitati proximius, & id circo verius. Sed charitatem veritatis ſuo ſibi judicio ſubjiciunt, & legem æternam reflexam comminiſcuntur, illis inſtructam regulis, per quas approbent adverſa, & pugnantia cum ſacris literis, & Patrum traditione. „ Error inculpatus, inquit P. Caſnedi *tom.* 2. *in Dedicatione ad Chriſtum Jeſum* „ ipſam coæquat veritatem. Eum enim non accuſas, ſed excuſas non plectis, ſed præmiaris, ipſam tuam legem habendo pro non lege, & tuam non legem habendo pro lege: ſi lex ut non lex, & non lex ut lex invincibiliter proponatur. „ Et *tom.* 1. *diſp.* 6. *ſect.* 1. §. 3. *pag.* 193. ait: „ Nullum eſt abſurdum, quod Chriſtus Dominus dicat: Veni benedicte accipere Regnum, quia mentitus es invincibiliter, putans me in tali caſu præcepiſſe mendacium. „ Niſi hoc ſit monſtra quæque deglutire, ne unquam evomatur probabiliſmus, me doceant Probabiliſtæ, ecquid aliud ſit? Horridum nobis eſt hujus æternæ legis reflexæ cogitare regulas; quæ prorſus indecentes ſunt, repugnanteſque Sanctitati divinæ. Non eſt hæc mi Graviniane, non eſt hæc vera major probabilitas, ſed eſt illa, qua res quæque ob ponderoſa argumenta, & auctoritatum momenta, quàm maxime accedit ad eam debiti rationem, quam ordo charitatis, quam lex fidei, quamque lex æterna Dei præſcribit. Quanquam plura diſputare moroſum eſt, & non neceſſarium. Satis autem fuerit attigiſſe ea, quæ a ſummis, & nobiliſſimis Antiprobabiliſtis large, ac invicte diſputata ſunt.

§. IV.

In quo exhibetur ſupplex libellus Reverendiſſimi Præpoſiti Generalis Patris Tyrſi Gonzalez Societatis Jeſu ad Clementem XI. pro exterminando Probabiliſmo.

HUnc libellum publici juris fecit P. Daniel Concina Ordinis Prædicatorum *in tom.* 2. *Appar. ad Theol. &c. lib.* 3. *diſſer.* 1. *c.* 8. *pag.* 330. Deprehendet lector in hoc documento artificia, mores, æquivoca, fallacias Probabiliſtarum; momenta etiam rationum, & auctoritatum, quibus convulſus jam pridem fuit Probabiliſmus. Monet Concina *in Præfatione ejuſdem tomi ſecundi n.* XVI. *pag.* XXVIII. hunc libellum pluribus in in Bibliothecis extare, nominatim porro teſtificatur Eminentiſſimi Cardinalis *Fabroni* Bibliothecam, quæ Piſtorii ſub cuſtodia Patrum Oratorii S. Philippi Nerii omnibus patet, & videri M. S. documentum ab omnibus poteſt.

LIBELLUS SUPPLEX
Oblatus Sanctiſſimo Domino
CLEMENTI XI.
Pro incolumitate Societatis Jeſu ab ejus Præpoſito Generali Tyrſo Gonzalez *anno* 1702.

BEATISSIME PATER.

I. „ IN vitæ hujus confinio conſtitutus; & in momenta ſingula mortem „ expectans, ut inveniar minus imparatus ad reddendam rationem „ ſupremo judici de Societate mihi commiſſa, debeo ad beatiſſimos pedes „ Sanctitatis Veſtræ humillime provolutus illud deferre, & paternæ, ac „ benigniſſimæ ejuſdem providentiæ committere, quod ipſe præſtare non „ valeo, & quod non modo expediens ſed ſumme etiam neceſſarium judi- „ co ad commune Societatis bonum. *Cum Sanctiſſimus Prædeceſſor San-* „ *ctitatis Veſtræ INNOCENTIUS XI. Pont. Max.* mihi dixiſſet, me „ factum fuiſſe Generalem in illum finem, ut Societatem averterem a præ- „ cipitio, in quod ruere videbatur, *de amplectenda ſcilicet ut propria* „ *ejuſdem Societatis ſententia laxiore circa uſum opinionum probabilium;* „ *dictum illud Vicarii Chriſti tamquam ejuſdem Chriſti dictum accepi*, & „ omni ope adnixus ſum ne ſpem optimi Pontificis irritam facerem, nullo „ per Dei gratiam labore, nullo umquam periculo ab inceptis deterritus; „ quouſque Deo juvante, & hac ſacra Beati Petri Sede benigniſſime fa- „ vente per editionem libri mei, & copioſos fructus ad illam conſecutos „ oſtenderim Orbi Chriſtiano, ſententiam illam non eſſe Societatis pro- „ priam; cujus oppoſitam, & Præpoſitus Generalis,& multi alii Jeſuitæ li- „ bris editis palam docent, & magno auctoritatis, rationiſque pondere „ firmant.

„ Optavi ſemper, & opto, ac firmiſſime ſpero, Beatiſſime Pater, „ abſolvendam eſſe a Sanctitatis Veſtræ zelo, cauſam iſtam feliciter in- „ ceptam a Sanctiſſimis Prædeceſſoribus ſuis, Alexandro VII. Innocen- „ tio XI. & Alexandro VIII. Nec res videtur admodum ardua: cum „ enim ab illis Summis Pontificibus damnata jam ſint extrema rigoris, & „ laxitatis, id unum jam reliquum eſt, ut ejuſdem Sanctæ Sedis magiſte- „ rio, & oraculo Sanctitatis Veſtræ innoteſcat omnibus medium virtutis, „ & veritatis in re adeo univerſaliter neceſſaria ad rectam de Chriſtianis

„ mo-

„ moribus doctrinam. Quod quidem præſtabit Sanctitas Veſtra pro eximia ſapientia ſua, quando, & quomodo magis expedire in Domino judicaverit. Ceterum inſtante jam fine peregrinationis meæ, illud vehementer deſidero, & ad conſcientiæ meæ pacem humillime rogare debeo, ut Sanctitas Veſtra pro ſingulari illa clementia ſua, & benigniſſimo patrocinio, quo Societatem ſemper protexit, dignetur præſervare ipſam Societatem a multis, magniſque periculis ipſi imminentibus ex hoc maxime capite.

II. „ Quæ officia mea, Pater Beatiſſime, quibus Societatem avertere curavi ab amplectendo Probabiliſmo pro Religione, & ut ſententia ſua, non minus *quam ſua ſit ſcientia media*, non uno modo ab omnibus accepta ſunt. Non defuerunt multi, inter quos eminent viri ſummæ prudentiæ, ſummique judicii, qui rem totam mature, & citra paſſionem conſiderantes judicaverint me præſtitiſſe Societati inſigne beneficium, ita illud extollentes, ut ne referre quidem ego poſſim ſine offenſione modeſtiæ, quamvis probe ſciam quidquid boni ſit, Deo unice tribuendum. Alii verò, ut in ſtatu naturæ lapſæ proniores ſunt in malum cogitationes hominum, & plurimi numero, & aliqui dignitate fulgentes, & non pauci Jeſuitæ e contra & ſibi perſuaſerunt, & aliis perſuadere curarunt, me peſſime fuiſſe meritum de Societate, & exercuiſſe in illam quaſi tyrannidem quamdam tum præſtando, ut Congregatio generalis XIII. per manifeſtam coactionem, ut ajunt, ederet decretum, in quo declaratur Societatem non fuiſſe amplexam Probabiliſmum tamquam ſuum, & datur noſtris libertas docendi, & ſcribendi contra illum; tum maxime in editione mei Tractatus contra notoriam renitentiam PP. Aſſiſtentium, & tot aliorum, qui inter primores Jeſuitas merito numerabantur, & in quibus omnibus videbatur repræſentari totum Societatis corpus reſiſtens violentiæ illatæ ſibi a ſuo capite.

III. „ Certiſſime ſcio, multos Jeſuitas doctos, & probos, & veros Societatis filios a tali ſenſu tunc abhorruiſſe, & nunc abhorrere quam maxime: ceterum illud genus hominum, de quo nunc loquebar, iſtos exiſtimant adulatores, & abblandiri Præpoſito generali propter fines ſuos: communem vero Societatis ſenſum eſſe prorſus alienum a Generalis ſenſu: multoſque Jeſuitas, qui nunc coacti (ut dicunt) tacent, & gemunt, ſtatim atque Generalis diem ſuum obierit erupturos in imbres, & tempeſtates librorum, quibus ſcilicet, & ſe, & Societatem ipſam egregie vindicent, & Probabiliſmum in regnum ſuum poſtliminio reducant, atque in perpetuum aſſerant. Hoc ita publice prædicant, ut Doctor Salmanticenſis D. Franciſcus de Perea in ſuo libro typis edito anno 1697. & inſcripto *Lydius lapis recentis Antiprobabiliſmi*, variis locis dicere auſus ſit, me edidiſſe illum Tractatum diſſentiente Societate univerſa: nam, ut plurima omittam, in ipſa introductione numero pri-

„ mo ait, me iniiſſe viam Jeſuitis meis aſperam, & inviſam, & *ſect. 1. num.* 7. & 8. tribuit toti Societati Probabiliſmum; itaut Societas ſemper prohibuerit & aliis, & mihi quidquam ſcribere contra illum, atque in hoc magna ſollicitudine invigilaverit: & concludit *num.* 8. *unde merito poſſent inclamare tam inſignes Jeſuitæ in unum, vel alterum ex ſuis, quod Aurelius Prudentius lib.* 1. *in Symmacum in fine decantavit: ſervemus leges patrias &c.* ubi ſupponit Probabiliſmum habere in Societate vim legis. Et ſæpe alibi acerbiſſime invehitur in me, ut ſectantem ſententiam contrariam ſenſui totius Societatis, uſque adeo ut *ſect.* 38. *num.* 443. uſurpet verba Divi Bernardi *ſermone* 111. de Reſurrectione: *Quæ major ſuperbia, quam ut unus homo toti Congregationi judicium ſuum præferat, tamquam ipſe ſolus habeat ſpiritum Dei?* Plurima omitto. Satis autem conſtat librum illum non tam eſſe opus Doctoris Perea, quam cujuſdam Jeſuitæ, qui jam Deo judici rationem reddit, & a multis Jeſuitis acceptum fuiſſe cum magna exultatione, & plauſu.

IV. Ex quibus aliiſque argumentis ſimilibus, & apud me compertis „ timere debeo magnum Societatis periculum poſt mortem meam. Nam ex una parte addentur ingentes animi aliquibus Jeſuitis parum conſiderantibus rerum ſtatum ad efferenda Probabiliſmi vexilla, & quidem eo liberius, quo & ſe magis gravatos exiſtimant, & minus vident, in quo ſit verum Societatis bonum, & decus. Ex alia parte certiſſime ſunt mihi Jeſuitæ & præclaro ingenio præditi, & in controverſia iſta peritiſſimi, qui mecum firmiſſime judicant, ſumme expedire ad majorem Dei gloriam, & animarum ſalutem, & ad ipſius Societatis honorem, quod Probabiliſmus in Societate non vigeat, nec prævaleat: & fieri nullatenus poterit, neque vero juſtum eſſet, quod ipſi ſileant, loquentibus aliis. Cum autem contentio iſta non ſolum ad ingenia, ſed ad animos etiam aliquorum pervaſerit, quamvis in ultima Congregatione generali, & deinceps ingenti Dei beneficio, aut extincta, aut ſopita ſit, magnum eſt fundamentum timendi, ne poſt mortem meam crudelius exardeſcat in pugnas domeſticas, diſſentiones, & rixas ſine fine cum magna perturbatione, ſcandalo, & dedecore Societatis.

V. „ Nec poteſt præcipi ex æquo utrique parti ſilentium. Tum quia Jeſuitæ ex inſtituto ſuo ad docendum addicti ſive cathedris, ſive in diſputationibus, ſive in libris præterire ſilentio non poſſunt capitalem, ut ſic dicam, & graviſſimam controverſiam iſtam, quæ fundamentum eſt totius Theologiæ moralis, & ex qua omnino pendet ſolida reſolutio circa innumera opinabilia, cum reflectat circa uſum licitum, aut illicitum opinionum omnium. Tum quia illo ipſo ſilentio aſſereretur in Societate Probabiliſmus, & quidem laxiſſimus, qui, ut multa experientia eſt, ſtudium fugit, & tollit, ac inutile reddit: ſiquidem eo ipſo quod ejus

„ pa-

„ patroni reperiant in aliqua ſummula : talis aut talis opinio eſt probabi-
„ lis : abſque alio prorſus examine , talem opinionem docent , & conſulunt
„ non minori ſecuritate quam ſi de honeſtate actionis haberetur Romanæ
„ Sedis oraculum : & inde maxime ortum habuit tanta in moribus laxi-
„ tas , quanta decretis Pontificiis damnata eſt : anima enim , quæ vi-
„ res dedit omnibus opinionibus nimis laxis , eſt modus ille opinandi
„ alienus ab Evangelica ſimplicitate , & Sanctorum Patrum doctrinis ,
„ qui per ſummam luxuriantium ingeniorum licentiam irrepſit , & quem
„ ſi pro recta regula fideles in praxi ſequantur , ingens eruptura ſit Chri-
„ ſtianæ vitæ corruptela , ut in aurea præfatione ad decretum ſuum deplo-
„ rabat Summus Pontifex Alex. VII. Tum quia decreto Summi Ponti-
„ ficis Innoc. XI. ſtatim ſubjiciendo intimatum fuit P. Joanni Paulo Oli-
„ væ tunc Generali , mentem ſuæ Sanctitatis eſſe , ut Jeſuitæ libere ſcri-
„ bant pro opinione magis probabili , & Probabiliſmum impugnent. Tan-
„ dem idipſum videntur convincere rationes omnes , quæ efficaciter ſua-
„ dent neceſſitatem ſuperioris providentiæ , ne Probabiliſmus in Socie-
„ tate prævaleat . Quas rationes ad pauca capita redactas humillime
„ ſubjicio beatiſſimis pedibus Sanctitatis Veſtræ.

VI. „ Prima ratio ſumitur ex mente , & voluntate Sedis Apoſtolicæ,
„ quas habemus expreſſas in decreto Sanctæ Romanæ , & Univerſalis
„ Inquiſitionis, & ordine Summi Pontificis Innoc. XI. intimato P. Olivæ
„ tunc Generali Societatis.

„ *Feria 4. die 26. Junii 1680.*

„ *In Congregatione Generali S. R. & Univerſalis Inquiſitionis facta*
„ *relatione per P. Lauream contentorum in litteris P. Tyrſi Gonzalez So-*
„ *cietatis Jeſu Sanctiſſimo Domino Noſtro directis , Eminentiſſimi Domini*
„ *dixerunt , quod ſcribatur per Secretarium Status Nuncio Apoſtolico*
„ *Hiſpaniarum , ut ſignificet P. Tyrſo quod Sanctitas Sua benigne acce-*
„ *ptis , ac non ſine laude perlectis ejus litteris , mandavit , ut ipſe libere ,*
„ *& intrepide prædicet , doceat , & calamo defendat opinionem magis pro-*
„ *babilem , nec non viriliter impugnet ſententiam eorum , qui aſſerunt ,*
„ *quod in occurſu minus probabilis opinionis cum probabiliori ſic cognita, &*
„ *judicata licitum ſit ſequi minus probabilem , eumque certum faciat , quod*
„ *quidquid favore opinionis magis probabilis egerit , & ſcripſerit , gratum*
„ *erit Sanctitati Suæ . Injungatur P. Generali Societatis Jeſu de ordine*
„ *Sanctitatis Suæ , ut non modo permittat Patribus Societatis ſcribere pro*
„ *opinione magis probabili , & impugnare ſententiam aſſerentium , quod in*
„ *occurſu minus probabilis opinionis cum probabiliori ſic cognita , & judica-*
„ *ta licitum ſit ſequi minus probabilem ; verum etiam notum faciat omnibus*
„ *Univerſitatibus Societatis , mentem Sanctitatis Suæ eſſe ut quilibet ,*
„ *prout ſibi licuerit , libere ſcribat pro opinione magis probabili , & impu-*
„ *gnet contrariam prædictam , eiſque jubeat , ut mandato Sanctitatis Suæ*
„ *omnino ſe ſubmittant.* Ex

„ Ex quibus, & ex plurimis litteris, quas proferre poſſum nomine
„ Suæ Sanctitatis ad me datis ab Eminentiſſimis Cardinalibus Cybo, &
„ Mellini duo manifeſte conſtant. Alterum, me vehementiſſimè, & fre-
„ quentiſſime impulſum fuiſſe a Sede Apoſtolica ad impugnandum intre-
„ pide Probabiliſmum; quamvis ego, qui per Dei gratiam neminem ti-
„ mebam præter Deum ipſum, expectaverim, quantum potui, ut Pon-
„ tificia mandata exequerer, ſalvo Societatis honore. Alterum, mentem
„ expreſſam Sedis Apoſtolicæ eſſe, quod Jeſuitæ impugnare poſſint libere,
„ & intrepide, quin propter hujuſmodi impugnationem aliquid ſibi ti-
„ mere debeant a Superioribus Societatis: quæ impunitas numquam ha-
„ bebitur, ſi Societas amplectatur Probabiliſmum, ut ſententiam ejuſ-
„ dem Societatis propriam. Hoc decretum omnino latuit uſque ad annum
„ 1693. in quo detectum eſt ſingulari Dei providentia occaſione reſiſten-
„ tiæ, quæ fiebat editioni libri mei: & niſi adhibeatur efficax remedium, vi
„ cujus tota Societas eidem decreto, ut par eſt, reverenter obediat, dicetur
„ illud ipſum decretum a me importune extortum, ſicut dicitur extortus a
„ me conſenſus Sedis Apoſtolicę de editione libri mei, poſt tot contradictio-
„ nes Jeſuitarum, & ſicut dicitur extortum violenter decretum Congre-
„ gationis Generalis noſtræ XIII. de ſimili impunitate, cum ſancitum fue-
„ rit de expreſſa voluntate Summi Pontificis Innocentii XI., qui me cer-
„ tum fecit, ſe aliquid amplius contra Probabiliſmum deſiderare a Jeſui-
„ tis, quam præſcriptum ſit per illud decretum.

VII. „ Et quidem juſtiſſimum erat illud Summi Pontificis deſide-
„ rium: cum enim Societas ex inſtituto ſuo ſit ſpecialiſſime devincta Sedi
„ Apoſtolicæ, & ad defendendam auctoritatem Summi Pontificis, ejuſ-
„ que nutibus obſequendum primario deſtinata a DEO, & a Sancto
„ IGNATIO Patre noſtro; ex primaria, & indiſpenſabili profeſſione
„ ſua adſtringitur ad illos ſenſus in quos magis inclinat Apoſtolica Sedes:
„ certum autem eſt, quod Sedes Apoſtolica ſemper inclinaverit magis in
„ ſententiam Probabiliſmo contrariam.

VIII. „ Secunda ratio. Negare nemo poteſt, cum ſit evidentia fa-
„ cti, quin Montaltius, Wendrochius, plurimi Janſeniſtæ, & inimici
„ Societatis enixiſſime procuraverint illam infamare, ex hoc maxime
„ capite, quod Probabiliſmum amplecteretur ut ſuum. Et cum Deus
„ pro infinita miſericordia ſua me dignatus ſit aſſumere in qualecumque
„ inſtrumentum ad liberandam Societatem a tanta infamia: quam indeco-
„ rum, & quam periculoſum eſſet ipſi Societati non agnoſcere adeo ſin-
„ gularem, & adeo beneficam Dei providentiam, & in illud ipſum pro-
„ brum, & dedecus ſponte ruere? Imminentem reliquiis Probabiliſmi rui-
„ nam ſatis oſtendunt tum decreta Pontificia magnam Probabiliſmi par-
„ tem damnantia, ejuſque fundamenta convellentia; tum perpetua, &
„ in dies major inclinatio Sedis Apoſtolicæ ad abſolvendum ſaluberrimum

„ opus

Digitized by Google

„ opus ab ipſa feliciter inceptum ; tum ſenſus , & praxis Eminentiſs. Car-
„ dinalium , & Tribunalium Romanorum ; tum quod Romæ , & in facie
„ Sedis Apoſtolicæ nemo publice defendere audeat Probabiliſmi doctri-
„ nam ; tum Epiſcoporum plurium conſpiratio ; tum Cleri Gallicani de-
„ claratio ; tum ex omnibus Eccleſiæ ordinibus inſignium Theologorum
„ conſenſus . Et ut alios omittam , certo ſcio , aliquos eſſe in Societate
„ bene paratos ad oſtendendum efficaciter , præcipua Probabiliſmi capi-
„ ta jam eſſe in eo ſtatu , ut ſint proxime damnabilia ab Apoſtolica Sede ,
„ ſi ipſi ita expedire videatur . Si autem illi , qui Societatem voluerunt
„ infamare , tantam illi moleſtiam intulerunt ex aliquibus Probabiliſmi
„ ramis jam damnatis ; quid fiet quando præcipua capita damnabuntur ?
„ Quis Jeſuita ſine intimo dolore , & lacrymis tantam Societatis labem
„ ſuſtineret ? Suſtineret autem , ſi ſententia illa in Societate prævaleret ,
„ aut nimis communis eſſet . E contra vero erit Societati valde decorum,
„ ſi Orbis agnoſcat, quantum in ipſa Probabiliſmus decreverit , antequam
„ ejus falſitas infallibili Sedis Apoſtolicæ judicio definiatur.

IX. „ Tertia ratio . Quamvis a peccato excuſentur illi Auctores ,
„ qui bona fide judicarunt Probabiliſtarum ſententiam eſſe veram , ideo-
„ que inculpabiliter illam ſecuti ſunt ſpeculative ; nemo tamen , niſi pro-
„ betur , cenſendus eſt adhibuiſſe talem doctrinam in praxi ad dirigendam
„ conſcientiam ſuam , aut alienam : quia ſemper , & ubique fuit , eſt , &
„ erit formaliſſimum peccatum , talem doctrinam practicare . Ratio eſt
„ facilis : quia falſitas ſententiæ reflexæ Probabiliſmi in eo conſiſtit , quod
„ dicat non dari peccatum , ubi datur peccatum ; quod dicat fieri bona
„ fide id quod re ipſa non fit bona fide ; quod dicat fieri cum bona con-
„ ſcientia id quod re ipſa fit vel ſine ulla conſcientia bona , vel contra
„ propriam conſcientiam . Unde totum pondus auctoritatis , & rationis
„ quod efficaciſſime probat ſententiam illam eſſe falſam , pariter probat
„ non excuſari a peccato formali eum , qui operatur juxta illam , cum in
„ hoc conſiſtat ejus falſitas . Eſt ergo ſententia illa occaſio innumerabi-
„ lium peccatorum , & damnationis animarum . Omnes enim qui tali
„ ſententia confiſi operantur in materia capaci malitiæ gravis , graviter
„ peccant , & leviter in materia levi . Sic aliqui ante decretum Innoc.
„ XI. inculpate docuerunt , ſpeculative prudenter operari eum , qui ope-
„ raretur confiſus probabilitate tenui ; & tamen certum eſt ſic operantem
„ numquam potuiſſe operari prudenter : in hoc enim conſiſtit falſitas illius
„ ſententiæ damnatæ in propoſitione 3. quod diceret , non dari impru-
„ dentiam , & peccatum , ubi dabatur , & ſemper dabitur imprudentia, &
„ peccatum ; quod diceret dari excuſationem a peccato , ubi peccatum
„ erat inexcuſabile . Hoc ſuppoſito , & ſuppoſita exiſtimatione , quam fi-
„ deles communiter habent de probitate , & doctrina Societatis , ejuſque
„ zelo in proximorum ſalute procuranda ; ſi illi ipſi fideles videant ſenten-

„ tiam

Digitized by Google

„ tiam Probabiliſmi defendi a Jeſuitis pro Religione, pro aris, & focis,
„ aut in illam nimium inclinare; judicabunt utique plurimi, Religionem
„ adeo ſanctam, & doctam non amplexuram tanto conatu doctrinam moralem, niſi iſta eſſet certiſſime tuta: unde operabuntur in praxi juxta illam, & peccabunt ſine excuſatione in innumeris, in quibus confiſi auctoritate Jeſuitarum putabunt ſe habere excuſationem. Inde fit liquido, magnum fore dedecus, magnum piaculum, ſi Societas daret fidelibus fundamentum ad judicandum, ipſam ita amplecti illam ſententiam: quia eſſet fideles ipſos allicere ad practicandam talem ſententiam: hoc autem eſſet, illos conducere ad peccata innumerabilia, niſi certum eſſet, illam Probabiliſmi ſententiam eſſe veram: quæ certitudo longe abeſt, imo jam certum eſt, vel illam ſententiam eſſe falſam, vel ſaltem non eſſe certo probabilem, & eſſe proxime damnabilem ad minus, ut periculoſam in praxi.

X. „ Quarta ratio. Quamvis ſententiam Probabiliſtarum ſpeculative ſecuti ſint multi bona fide, quando res erat in alio ſtatu; at in ſtatu præſenti jam non erit facile, quod alii Jeſuitæ illam inculpate, & bona fide teneant, & doceant. Antea non affulgebat illa lux, quæ poſtea orta eſt ex Pontificiis decretis; neque deventum erat ad fundum graviſſimæ controverſiæ; neque patefactæ ingentes æquivocationes, fallaciæ, & falſæ ſuppoſitiones, quibus unice nititur Probabiliſmus; neque collecta tot, tanta, & tam manifeſta abſurda; neque occurrerant Auctoribus probabiliſtis efficaciſſima argumenta auctoritatis, & rationis, quæ poſtea aliis occurrerunt. Quæ omnia nunc ſunt examinanda, niſi quis velit ignorantia voluntaria laborare, & veritatis curam omittere: quod & in magiſtris præſertim, & in omnibus non contingeret ſine graviſſimo peccato, quod eſſet cauſa plurium aliorum peccatorum, & ſuorum, & alienorum. Et quando ex omnibus Eccleſiæ gradibus, & ordinibus tam multi ſunt, qui animadvertentes periculum receptui canunt; *fœda nimis res eſſet, quod Jeſuitæ ſeſe, & alios in præcipitium urgerent*. Præſertim cum ab ipſo Societatis ortu, & in corpore inſtituti ſui a Sancta Sede toties confirmati præſcriptum voluerit noſter optimus *Pater S. IGNATIUS*, qui parte IV. *Conſtitutionum cap.* V. §. 4. ita præſcribit: *ſequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam*. Unde S. Pater non ſuſtineret minus ſecuram, & ſimul minus approbatam. Cum poſtea P. Mutius Vitelleſchi Præpoſitus Generalis toti Societati per litteras circulares præſcripſerit: *Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntque, minime hac regula, ac norma in delectu ſententiarum utantur*: Tueri quis poteſt: Probabile eſt: Auctore non caret: *Verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt ma-*

„ gis

„ gis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queunt, non vaſtare, non „ perdere. Idem præſcripſit P. Goſwinus Nikel, ut ſatisfaceret ardenti„ bus votis Summ. Pontif. Alex. VII. per hæc verba graviſſima: *conemur omnibus quibus poſſumus modis calumniis iſtis anſam præſcindere. „ Meminerimus, quod ſuis omnibus præſcripſit S. Pater noſter in Conſtitutionibus part.* IV. *cap.* V. §. 4. *ſcilicet*: Sequantur in quavis facultate „ ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam. *Et cum ſcopus doctrinæ „ omnis in Societate, uti monet idem S. P. N. initio cap.* V. *part.* IV. *ſit „ ſuis, & proximorum animis, Dei favore aſpirante, prodeſſe, ſectemur in „ praxi ſententias utiles potius, quam jucundas; & in dirigendis conſcientiis, tam voce, quam ſcripto ſtudeamus prodeſſe proximo magis quam placere.*

XI. „ Idem ſtatuit ſæpe tota Societas in Congregationibus generali„ bus V. XI. & XII. Decretum Congregationis quintæ allegatur, & con„ firmatur a Congregatione XI. dec. 22. quod ſic habet: *Complurium „ Provinciarum poſtulatio fuit, ut cum Societas ita nunc paſſim male audiat, & traducatur, quaſi nimis laxas in moralibus opiniones doceat, & „ in praxi ſequatur, aliquod adhibeatur efficax tanto malo remedium.* „ Congregatio amplexa judicium Deputatorum pro ſtudiis ſtatuit: Primo „ monendos ſerio Profeſſores Theologiæ moralis caute omnino ut do„ ceant, neque quod aliquid probabile reputent, illico ſibi licere arbi„ trentur illud in publicum ſcripto, verboque protrudere; ſed ad id at„ tendant maxime, quod monet Congregatio V. dec. 41. an communi „ Scholarum ſenſui congruat, ac præterea ſcandalum, vel offenſionem „ aliquam uſpiam parere poſſit. Superiores autem ſi quos novitatum aman„ tes, aut parum cautos in docendo compererint, a munere docendi ſub„ moveant, ſpeque omni illius privent, pœnis etiam aliis, ſi forte opus iis „ eſſe ſenſerint, coerceant.

„ Decretum 28. Congregationis XII. idem præſcribens: *Quamvis „ contra novitatem, laxitatemque opinionum præſertim in rebus moralibus „ abunde proviſum ſit, & Præpoſitorum generalium ordinationibus, & ſuperiorum Congregationum decretis, & Conſtitutionibus ipſis, quibus jubemur ſequi in quavis facultate ſecuriorem, magiſque approbatam doctrinam; in re tamen tanti momenti, poſtulante pro ſuo zelo Patre noſtro, „ omniumque conſpirantibus votis, nihil prætermittendum rata Congregatio præſens decretorum, quibus novæ illæ, laxioreſque opiniones doceri, typiſque mandari prohibentur, vim totam renovat, roborat, & confirmat. Commendat præterea in primis Patri noſtro, ut non tantum tranſgreſſores loco, & cathedra amoveat, aliiſve gravibus pro modo culpæ pœnis ſubjiciat; ſed ipſos etiam Superiores, ſiquando in cohibenda liberiori „ illa opinandi licentia negligentiores fuerint, ſevere puniat.*

XII. „ Denique (quod nobis præcipue obſervandum eſt) cum Sedes

 „ Apo-

„ Apoſtolica præſertim per Summos Pontifices Alex. VII. & Innoc. XI. „ ſatis aperte inclinationem, & voluntatem ſuam ſignificaverit; licet prædictum Innoc. XI. mandatum, & S. Inquiſitionis decretum ad ejuſdem „ Societatis notitiam non pervenerit.

„ Hæc omnia, & alia omittenda brevitatis cauſa, me relinquunt ſine „ libertate, Beatiſſime Pater, & omnino cogunt, ut humillime petam a „ Sanctitate Veſtra auxilium paternæ providentiæ ſuæ, quod videtur „ futurum eſſe efficaciſſimum (pro comperta mihi noſtrorum reverentia „ erga Sanctam Sedem, & ſingulari gratiſſimæ, & humillimæ benevolentiæ affectu erga ſanctiſſimam perſonam Beatitudinis Veſtræ) ſi Sanctitas Veſtra dignetur ſerio commendare Superioribus Societatis, ut diligentiſſime invigilent, & provideant quieti, paci, & honori Societatis, „ tamquam rem Sanctitati Veſtræ gratiſſimam facturis: ut in ipſa promoveant ſtudium impigrum doctrinæ moralis, & ſignanter hujus capitalis controverſiæ: ut ſumma ſollicitudine caveant, ne Jeſuitæ in lectionibus, theſibus, aut libris aliquid doceant, aut defendant contra illos „ ſenſus in quos Sedes Apoſtolica inclinare viſa eſt, contra mentem Sancti „ IGNATII Patris noſtri in Conſtitutionibus expreſſam; contra ordinationes, & decreta Præpoſitorum, & Congregationum generalium, „ quod ſit alienum ab evangelica ſimplicitate, & SS. Patrum doctrina, „ ex quo poſſit erumpere chriſtianæ vitæ corruptela, & pernicies animarum gradientium per viam latam, quæ ducit ad perditionem; & quod „ in Societatem ipſam refundere poſſit, & culpam & pœnam, & dedecus, „ ipſamque reddere minus utilem ad ſuum finem, qui unice eſt inſervire „ Deo, & Sanctæ ejus Eccleſiæ, & quærere toto corde cum divina gratia ſalutem, & perfectionem propriam, & cum eadem impenſe in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbere.

XIII. „ Teſtor, Beatiſſime Pater, Chriſtum Jeſum Dñm noſtrum, & Societatis ducem, qui ſcrutatur renes, & corda, & in cujus tremendo judicio „ accuſari nollem, ut ſervus infidelis, & negligens: teſtor, inquam, me „ ad hoc ardenter deſiderandum, & humillime petendum unice moveri ex „ finibus prædictis, ut conſulam quantum poſſum conſcientiæ meæ, & Societati mihi a Domino commiſſæ, ac ingentibus ejus obligationibus, & „ propter majorem Dei gloriam, & propter reverentiam erga Apoſtolicam Sedem, & propter ſalutem æternam proximorum, ipſorumque Jeſuitarum, & propter ipſius Societatis pacem, quietem, & honorem.

„ Spero autem firmiſſime Sanctitati Veſtræ gratum eſſe futurum „ hoc deſiderium meum, & Beatitudinem Veſtram pro paſtorali cura totius Dominici gregis, & pro ſingulari benignitate ſua erga minimam „ hanc Societatem, electuram illud medium, quod Sanctitas Veſtra judicaverit magis efficax, & expediens, ut Societas a prædictis periculis „ liberetur, & juxta inſtitutum ſuum utiliter in vinea Domini laborare

„ per-

Digitized by Google

„ pergat. Deus Opt. Max. Sanctiſſimam perſonam Beatitudinis Veſtræ „ pro ardentiſſimis votis meis diutiſſime, feliciter, & incolumem ſervet in „ culmine Apoſtolatus, & tandem ad cœli culmen feliciſſime perducat. „ Amen.

„ Additio facta fuit huic libello ſupplici, & præſentata Suæ Sancti- „ tati a Patre Emmanuele Sagarra 4. Septembris in audientia, quam ha- „ buit a Sua Beatitudine.

„ Rem gratiſſimam Sanctitati Suæ facturos Superiores Societatis, „ ſi præſtent, ut Jeſuitæ abſtineant a docenda, & defendenda ſententia, quæ „ aſſerit, licitum eſſe uſum opinionis minus probabilis, & minus tutæ; cum „ Sanctitati Suæ compertum ſit, ita omnino expedire ad incolumitatem, „ & honorem Societatis.

§. V.

Oſtendit quibuſnam in regionibus torrens peccatorum inundet, an ubi regnat Probabilioriſmus, an vero ubi graſſatur Probabiliſmus.

HAnc quæſtionem non uno loco, ſed paſſim, ac ſæpe Gravinianus Probabiliſta definit in ſuo *Apologetico*: nec tam ex regionum ubi Probabilioriſtæ morantur locis argumentatur, quam ex ambiguis criminibus, quæ Probabilioriſtis Dominicanis affingit. Sint hæc Probabiliſtarum argumenta, ſint armatura leviter certantium; certe non doctrinam feriunt Antiprobabiliſtarum, ſed Perſonam, non ingenium, ſed virtutem, atque officium. Mihi vero docendi non judicandi ſuſcepta cauſa eſt. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Ad Rom.* XIV, 4. Hac ego de cauſa nolo in certamen morum venire: nolo paria paribus referre: vereor ne illud Hieronymi *lib.2.adverſ. Ruff.* a te mihi objiciatur, quod per me tibi ſuperius *in Par.* 2. §. 10. objectum fuit. „ Quis unquam catholicorum in diſpu- „ tatione ſectarum turpitudinem ei, adverſus quem diſputat objecit. Quis „ omiſſa cauſa in ſuperflua criminum objectione verſatur? „ Sed ſi locus hic non ſatisfacit, audi mi Graviniane: Et inter Antiprobabiliſtas ſunt ſcioli, quos opiniones decipiunt Probabiliſtarum, quemadmodum & inter Probabiliſtas ſunt te Auctore probi, qui Antiprobabiliſtarum doctrinam *in praxi* amplexantur. Antiprobabiliſmus non ſanctos facit homines, niſi moribus impleant, quod verbo, aut ſcripto docent. At Probabiliſmus, cum a ſana doctrina aberret, ac ordinem evertat charitatis, nequeunt ex eo Sancti eſſe, aut fieri Probabiliſtæ: quin etiam nemo Probabiliſta excuſatur a culpa, quod §. 3. ex P. Tyrſo Gonzalez diximus, ſi „ adhibeat talem do- „ ctrinam in praxi ad dirigendam conſcientiam ſuam, aut alienam, quia

 ſem-

„ ſemper, & ubique fuit, eſt, & erit *formaliſſimum peccatum* talem do„ ctrinam practicare. „ Verum linquamus iſta. Cum enim ſit campus in quo poſſit exultare, & triumphare oratio cur eam in tantas anguſtias, atque in maledictorum dumeta compellimus?

Excute nunc mi Probabiliſta dialecticam tuam, idque expendas velim, totius hujus loci controverſiam ab ea quæſtione pendere, quam Sanctus Thomas 1.2. *q*.20. *ar*.5. ſapienter, ut omnia explicavit. *Utrum eventus ſequens aliquid addat de bonitate, vel malitia ad exteriorem actum?* Torrens peccatorum alicubi magis, alicubi minus inundet, quæritur modo cuinam eventus hic addat aliquid de malitia Probabilioriſmo ne, an citius, & potius Probabiliſmo? Atque hoc judicium facillime capiemus ex ipſius Thomæ Angelica doctrina. „ Nam eventus ſequens, inquit, aut „ eſt præcogitatus, aut non. Si eſt præcogitatus manifeſtum eſt, quod „ addit ad bonitatem, vel malitiam. Cum enim aliquis cogitans, quod „ ex opere ſuo mala poſſunt ſequi, nec propter hoc dimittat, ex hoc ap„ paret voluntas ejus eſſe magis inordinata. „

Hoc loco animadvertere operæ pretium eſt, Probabiliſta ne, an Probabilioriſta prænoſſe poſſit, ac debeat illa mala, quæ alterutram Scholam ſequantur. Enumera regionis hujuſce, quam tibi proponis Confeſſarios: Vide quo accedat, quaſi maximus quidam teſtis, populus atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo; tum plane inficitur opinionum pravitate. Si hæc ad Probabilioriſtas accedit, eorumque doctrinam ſequatur: ſit eventus ſequens, peccatorum nimirum torrens præcogitandus a Probabilioriſtis. Sin autem regionis iſtiuſmodi majorem partem omnes ad Probabiliſtas Confeſſarios veniant, eorumque doctrinam tanquam myſterium ſuſcipiant, eaque imbuti, & quæ ſua ſunt, & quæ Dei facile accommodent, dubitandum non eſt quin hujus peccantis multitudinis eventus præcogitandus ſit a Probabiliſtis. Quanto cautius P. Jacobus Sanvitale in ſuo libro inſcripto *Veri Paradoſſi*, ut ab hac ſe impeditiſſima quæſtione expediret ſeculum noſtrum, ubi comparetur cum vetuſtis, aureum appellavit. Nimirum iis nitebatur cauſis, quibus evincitur Probabiliſmum abſtuliſſe omnia peccata mundi. Verum longiora hæc ſunt, nec perſequi libet; Et plene confutata a P. Daniele Concina invenies *in præfat. tom.* 1. *Apparatus ad Theol. cap*.5. ubi Patris Sanvitalis capita enumerat, ac pro charitatis evangelicæ zelo mirum in modum ſeculi hujus labem, & infelicem pietatem ſub oculis ponit.

Quam vero diſpar ſit hac in parte Probabiliſmi cauſa a cauſa Probabilioriſmi nunc aperiamus. Aliud enim eſt eventum malum ſequi ſanam doctrinam, aliud vero ſi ſequatur doctrinam minime ſanam. Quid ſi falſam, aut a charitate veritatis longe remotam? Probabiliſmus nihil boni, nihilque melioris affert pro charitate veritatis cum faveat libertati, & legi charitatis adverſetur; quod ſuperius dictum

eſt,

eſt. Contra Probabilioriſmus; quippe qui ſtat pro lege charitatis, ejuſque ad veritatem quam proxime accedit. Fac indiſcriminatim ex utroque præcogitari mala, quæ eveniunt: nihilhominus cum Probabilioriſmus ædificet bonum quod pertinet ad neceſſitatem ſalutis, ut ſi contra agas, reus lethalis criminis exiſtas; id fit profecto ut nullum ob eventum ſequentem dimitti veritas Probabilioriſtica poſſit. „ Et ideo, inquit S.Thomas *2. 2. q. 43. ar. 7. ad 2.* „ propter nullum ſcandalum, quod ſequi videatur, debet homo prætermiſſa veritate, falſitatem docere. „ At in Probabiliſmo longe ſecus eſt. Concedunt namque, & fatentur Probabiliſtæ quavis de cauſa licere a Probabiliſmo recedere, & probabiliorem ſequi, ac profiteri: quod minime faterentur, ſi bonum aliquod haberet, quod pertineat ad neceſſitatem ſalutis. Ergo ubi torrens peccatorum præcogitatus ſit ex probabiliſmo, omnino ab eo recedendum eſt. At ſi ex Probabilioriſmo præcogitetur: numquam veritas ſanæ doctrinæ dimitti poteſt. Alioqui propter ſcandalum Phariſæorum dimittenda fuiſſet evangelica doctrina, quod eſſe contemnendum Dominus docet *Matth. 5.* Sed locum D. Thomæ ex 1.2. petitum reſumamus.

„ Si autem, inquit S. Thomas, eventus ſequens non ſit præcogitatus..... ſi per ſe ſequitur ex tali actu, & ut in pluribus, ſecundum hoc eventus ſequens addit ad bonitatem, & malitiam actus. Manifeſtum eſt enim meliorem actum eſſe ex ſuo genere, ex quo poſſunt plura bona ſequi, & pejorem ex quo nata ſunt plura mala ſequi &c. „ Hæc S. Thomæ præceptio jugulum petit Probabiliſmi, atque in ipſum aperte decretorium judicium ſtatuit. Tantus enim eſt torrens laxarum opinionum, quæ ex ipſo fluunt, ut quibuſdam aggeribus, & quaſi vinculis cohibenda Probabiliſmi ratio fuerit, ne effrenatius, ac pernicioſius diffluens ipſa religionis, & doctrinæ fundamenta prorſus everteret. Hinc dotes illæ Gravinianæ, quibus prænotio opinionis probabilis inauratur. Hinc aliæ ab aliis adhibitæ conditiones, quas non vinculorum, & aggerum nomine, ſed veluti phaleras ad quendam ornatum explicare voluerunt.

P.Cardenas *tr.1.de probab.diſput.11. cap.4.n.106.* quatuor excogitavit. Sunt autem ejuſmodi, ut Gravinianis dotibus non omnino conſentiant. „ Prima ſi pars oppoſita ſit certa. Secunda levitas, vel nullitas fundamenti, cui innititur. Tertia ſi auctor docuerit improbabilia. Quarta ſi Auctor affirmat concluſionem ſine eo, quod examinet fundamenta utriuſque partis. „

Pater Terillus in celebri illo Prologo ad *tract.* de Conſc. *Vidit, & exhorruit* abuſum. „ Quis enim, ait, non horreret Dei præceptum, ab omnibus pene agnitum, ſolidiſſimiſque argumentis comprobatum tam frivolo argumento e legis divinæ, & eccleſiaſticæ tabulis non minus impudenter, quam imprudenter eradi? „ Nec putes Probabiliſtas negaſſe aut furtum, aut fornicationem, aut homicidium, aut falſum

ſum teſtimonium non eſſe peccata. In eo effrenate opinabantur, quod frivolis, ac leviſſimis argumentis, quæ ſolidæ rationes videbantur, ita quibuſdam in *caſibus* morum regulas emolliebant, ut moderatas, exempli cauſa, uſuras, tactus mammillares Monialium, jejuniorum laxam diſciplinam aut e peccatorum tabulis raderent, aut in leviorum genere ponerent. „ Neque hic ſtetit (ſequitur P. Terillus) quorumdam audacia:
„ plurimi enim, etſi doctrina longe inferiores, ſimilem quoque arguendi
„ modum ſibi licitum exiſtimantes ex laxis ſolutionibus ad alias laxiores
„ ſibi iter rectius dixerim, *ſibi & aliis* præcipitium, aperuerunt: atque ita
„ brevi effectum eſt, ut plures laxitates, vere non ferendæ, in oculos le-
„ gentium non ſine plurimorum ſcandalo frequenter incurrerent. „

Vide nunc, mi Probabiliſta, & cogita, ſi Probabiliſmi Scholam, cui magnopere adhæres, ut in pluribus ſecutus ſit non *ſine plurimorum ſcandalo* miſerandæ laxitatis malus, & pernicioſus eventus. Neque enim vacat integrum Terilli prologum exſcribere.

Et affers Sacramentorum frequentiam, pias meditationes, libros aſceticos, idque genus plura, quibus ſtudia Probabiliſtarum ad ædificium charitatis proficiunt. Non improbo: Hæc enim bona ſunt, & maxime commendanda. Verum parum eſt iſta, quæ ut conſilia ſuades, obiri, ſi ea remittis, & ſua ſeveritate fraudas, quæ ſunt præcepta evangelica. Ecquid eſt aliud jugum Chriſti ſuave repreſentare in ſenſu falſo, & erroneo: quam carni, & vanis deſideriis attemperare ſpiritualia?

Poſſem exempla ſubjicere, ac perſonarum varios ſtatus percurrere, mercatores, advocatos, legulejos, juriſconſultos, nobiles, aulicos, & cetera hominum genera perſequi, qui ſpiritualibus miſcent ſeculi delicias, & Gomorrhæorum plane ſimiles cum ſpecioſo cortice intus cineres dumtaxat, & divinæ ultionis reliquias tegunt. Sed odioſa iſta ſunt, & invidiæ, ac periculi plena. Cum vero ab Auctore *octo Epiſtolarum* ad Rev. Patrem Carolum Nocetium hac de re tota diſputatum ſit: quæ hoc loco plura deſiderantur, ea lector ex *epiſtola* 4. ejuſdem auctoris reſumet. Nam tempus poſtulat ut finem dicendi jam faciamus.

§. VI.
Quænam pacis faciendæ ratio ineunda?

HAbes mi Graviniane defenſionem Scholæ Thomiſticæ. Qua ſic a me inſtructa, & elaborata utinam id aſſequi poſſim tibi ut perſuadeam me honori velificatum eſſe tuo, ne Apologeticum tripartitum, quod Antidominicanus in Dominicanos extuliſti, ab omnibus non modo neglectum, ſed pene contemtum putaretur. Opto officium hoc erga te meum, gratiam mihi tuam conciliet. Nam quod a te diſſentiam cauſa

ipſa

ipſa facit, non voluntas. Non ego a te diſſentio, ſed veritas a falſitate. Certe nec licenter, nec temere, ſed prudentis intelligentiæ freno, & definita quadam Scholæ meæ moderatione diſſentio. Tanta eſt mea erga te reverentia. Quam ſi Tu pro animi mei voluntate proque tua probabiliſtica benignitate, quam humaniſſime poteris, accipies, nihil vereor, quin aliquem fructum hujus officii mei capiam. Interea illud volo de me ſentias, me non carpendi tui, ſed charitatis chriſtianæ ædificandæ ſtudio hæc ſcripſiſſe; quædam forſitan dixi, quæ reprehendi jure poſſint, quædam vera licet, pro rei tamen dignitate minus quam oportuit accurate. Sed concedendum non nihil occupationibus, erratiſque noſtris, quæ, ſi pacem deſideras, amice reprehende: *docenti poſſum acquieſcere, non timeo criminantem.* Sit inter nos una fides, UNA VIA SALUTIS, una charitas Chriſti, hujus ordini ſerviamus, hujus ad regulam, quam maxime fieri poteſt, appropinquemus; ET ILLICO PAX SEQUETUR.

Noli contendere verbis. 2, ad Timoth. 2, *Et dicit verbis, quia aliqui diſceptant ſolum verbis improperii. Et hoc proprie eſt contendere. Si hoc fit non verbis tantum, ſed veris rationibus: hoc eſt diſputare non contendere.* D. Thomas in cit. loco lect. 2.

F I N I S.

A0114724900

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBL